

**De Iustiniani
imperatoris
aetate
quaestiones
militares. ...**

Conrad Benjamin

Harvard College Library



THE GILT OF
JAMES LOEB
(Class of 1888)
OF NEW YORK

FROM THE LIBRARY OF
PROFESSOR ADOLF FURTWÄNGLER
OF MUNICH

RECEIVED MAY 7, 1906

2864
Com

MG 10.5

DE IUSTINIANI IMPERATORIS
AETATE QUAESTIONES MILITARES.

SCRIPSIT

CONRADUS BENIAMIN.

BEROLINI 1892.

APUD W. WEBER.

DE IUSTINIANI IMPERATORIS
AETATE QVAESTIONES MILITARES.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III MENSIS IUNII ANNI MDCCXCII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CONRADUS BENIAMIN

POMERANUS.

ADVERSARIJ ERUNT:

OTTO BILTZ, CAND. PHIL.

FRANCISCUS FRÖHLICH, DR. PHIL.

WALTERUS HENZE, DR. PHIL.

BEROLINI 1892.

APUD W. WEBER.

MG 10 .5

Harvard College Library
Gift of
James Loeb,
May 7, 1909

PARENTIBUS

S.

NOTAE:

Mommsenus l. l. = Mommsen: Das Römische Militärwesen seit Diocletian. in *Hermæ* vol. XXIV p. 195—279.

B. P. = Procopii de bello Persico libri.

B. V. = Procopii de bello Vandalico libri.

B. G. = Procopii de bello Gothico libri.

H. A. = Procopii historia arcana.

Numeri paginarum sine alia significatione adscripti locis Procopii, Agathiae, Malalae laudatis sunt editionum Bonnensium.

Quicumque ad investigandam Romanorum aetatis imperatoriae historiam accedunt, haud omnes eius partes eadem integritate ad nos pervenisse non ignorant. Cuius difficultatis, quoad fieri potest, sublevandae hanc rationem et viam inire viri docti consueverunt, ut a perscrutandis temporibus optime traditis profecti tum conferendo et comparando inter se priora et posteriora ad interiecta spatia illustranda procedant. Rei militaris autem mutationum tempore Diocletiani posteriorum cum quaeras, quae-nam sint illa quasi lumina, quibus si non omnia, at tamen multa perspicui licet, altera ex parte Notitia Dignitatum sub Honorio conscripta et Codicis Theodosiani septimus praecipue liber et, ut horum quoque mentio fiat, Ammiani Marcellini libri rerum gestarum laudanda videntur, altera ex parte Procopii¹⁾ Caesariensis opera, auctoris illius aetatis Iustinianae. Qui quoniam assessor (συγκάθεδρος, παράδροσ) et consiliarius (ἐμβουλος) Belisarium, summum Iustiani ducem, per multos annos sequebatur, ita ut omnia exercitus instituta videre et cognoscere posset, idoneus sane fuit, qui specimen et formam eius rei nobis praeberet; accedit quod ingenium eius talibus studiis maxime favebat.²⁾ Huic autem rei tam strenue in libris octo, quos de bellis a Iustiniano contra Persas, Vandalos, Gothos gestis conscripsit, satisfecit,³⁾ ut quasi dux optimus et fidissimus sequendus sit. Denique si cum alios Iustiniani temporum scriptores haud spernendos, tum leges exstare respiciunt, qui legunt, iusto iure ad nonnullas rei militaris posteriorum temporum, quam primus

¹⁾ de vita eius cf. quae Dahnus exposuit (Procopius von Caesarea. p. 12—31).

²⁾ cf. Dahnium l. l. p. 67.

³⁾ quod attinet ad libros de aedificiis scriptos et historiam arcanam paulo aliter res se habet; ac ne in historiae quidem arcanae, quam Procopio attribuere non dubito, partibus ad rem publicam pertinentibus multa reicienda inesse videntur.

nuperrime Mommsenus¹⁾ adumbravit, partes accuratius per-
lustrandas ab hac aetate me esse profectum eos concessuros
esse spero.

Exercitus Iustiniani, quos apud Procopium descriptos in-
venimus, compositi sunt primum quidem ex eisdem publicis copiis,
quas aetate iam Honorii exstitisse Notitia Dignitatum probatur,
neque in eo haerendum est, quod omnium fere exceptis scholis
nomina voce „καταλόγων πεζικῶν“ et „ἰπικῶν“ a Procopio obscu-
rantur.²⁾ Deinde crebro commemorantur auxilia barbarorum in
universum eadem, quae et apud Ammianum et apud rerum
multo antecedentium scriptores saepissime nobis occurrunt, sublata
tantum a Procopio, qui omnes „ξυμμάγους“ appellat, distinctione
nominum inter gentes foederatas et socios alicuius rei exsequendae
causa suo quosque tempore adscitos.³⁾

Tria contra, vel ut rectius fortasse dicitur, duo militum
nomina ignota nobis sunt: „δορυφόροι καὶ ὑπασπιστάς“, quibus sae-
pissime inter se coniunctis unum effici corpus⁴⁾ Procopius
demonstrat, et „φοιδεράτοι“, quorum si non nomen at tamen
sensum satis longe a foederatis liberae rei publicae et princi-
patus abhorreere facile intelligitur. De quibus prinsquam agam,
fieri non potest, quin Mommseni afferam sententiam⁵⁾ gravissimam,
qui duobus illis nominibus unum tantum militum genus hoc
modo significari iudicat, ut voce foederatorum doryphori et
hypaspistae comprehendantur. Qua de re quamquam aliter me
sentire et his duabus vel tribus significationibus duas species
mea existimatione respondere, qui legunt, eos ignorare nolo,

¹⁾ Das römische Militärwesen nach Diocletian (in Hermae vol. XXIV).

²⁾ At alia restat difficultas et ea gravissima, utrum sequendus sit Pro-
copius, qui in historia arcana Iustinianum legionibus limitaneis nomen et
stipendia militum ademisse scripsit, necne (H. A. 24. p. 135). Mommsenus
(l. l. p. 199) Procopium sequi videtur. Hartmannus (Untersuchungen zur
Geschichte der Byzantinischen Verwaltung in Italien p. 15) scriptorem nonnisi
de limitibus orientem versus munitis sensisse putat.

³⁾ Mommsenus l. l. p. 217 adn. 3.

⁴⁾ velut BG. I 5. p. 26: „δορυφόρους τε καὶ ὑπασπιστάς πολλοὺς τε καὶ
δοκίμους ἔχων“; BG. III 12. p. 325: „δορυφόρους τῶν καὶ ὑπασπιστάς τοὺς ἐμὸς
μάλιστα πόντων σταλῆναι προσήκει“; BV. I 11. p. 360: „οὕτω πολλοὶ μὲν δορυφόροι,
πολλοὶ δὲ ὑπασπιστάς εἶποντο“; aliis locis.

⁵⁾ l. l. p. 234.

tamen tantum abest, ut viri doctissimi sententiam paucis verbis refellere audeam, ut nisi accuratius de unoquoque genere deserendo, quae mihi proposui — siquidem sunt demonstranda — demonstrari non posse persuasum habeam sperans ipsa re inter „φοιδεράτους“ et „δορυφόρους και ύπασπιστάς“ quasdam et eas haud spernendas perspicuas fore differentias. Tamen pauca, quibus defendatur mea sententia hoc iam loco in medium proferantur.

Nam apud Procopium doryphori et hypaspistae cuiuslibet fere tribuni aut ducis sive numerorum sive foederatorum¹⁾ inveniuntur; foederati contra nisi cum suis ducibus — ἄρχοντες φοιδεράτων nominantur — coniuncti non memorantur. Quid? quod Belisarii ipsius doryphori et hypaspistae, qui saepissime laudantur, nunquam a scriptore foederati vocantur? Quoties Procopius ad exercitus cuiusdam partes enarrandas aggreditur, toties primum quidem foederatos enumerat,²⁾ deinde numeros et equitum et peditum, tum quidemque adfuerit barbarorum, postremo doryphoros et hypaspistas imperatoris; raro³⁾ enim reliquos ductores copiam eorum habuisse dignam commemoratu non mirum est.

Deinde antem hodie multo liberius ad disiungendos inter se foederatos et doryphoros hypaspistasque accedere licet, quam ante hos tres annos, cum Mommsenus de his rebus egit, fieri potuit. Tunc enim, si quis tribus his nominibus duo significari militum genera persuasum habuisset, locus quidam Iohannis Malalae,⁴⁾ quo ipsis verbis id, quod Mommsenus statuit, exprime-

¹⁾ velut BV. II 15. p. 475 BG. I 29. p. 137.

²⁾ [BG. I 5. p. 26 cf. p. 9]; BV. I 11. p. 360; BV. II 3. p. 420; quem locum Mommsenus, l. I p. 237, adn. 2 hoc modo laudat: „in der Vandalischen Entscheidungsschlacht . . . bildeten Belisars eigene Reiter das Mitteltreffen, die übrigen foederati den linken Flügel.“ Sunt autem verba Procopii: „χίρας μὲν τὸ ἀριστερὸν Μαρτινὸς τε καὶ Βολαριανὸς εἶχον . . . καὶ ὅσοι ἄλλοι φοιδεράτων ἄρχοντες ἦσαν, τὸ δὲ δεξιὸν . . . κατὰ δὲ τὸ μῖσον Ἰωάννης ἐτάσσεται, τοὺς τε ὑπασπιστάς καὶ δορυφόρους Βελισάριου ἐπαγόμενος.“ Similiter BV. I 19 p. 388.

³⁾ velut BV. II 15. p. 475 Iohannis, Vitaliani nepotis, doryphori et hypaspistae inveniuntur.

⁴⁾ (Hermae vol. VI p. 369 ed. Mommsenus) „ἔτι γὰρ (Aspar) πλῆθος Γοτθῶν καὶ κόμητας πολλοὺς καὶ ἄλλους παῖδας καὶ παραμένοντας αὐτοῖς ἀθρώπους, οὓς ἐκάλεσε φοιδεράτους, . . .“

batur, negligendus erat vel premendus. Postquam vero egregia Patzigi¹⁾ opera haec verba spuria esse neque a Malala scripta sed postea addita demonstratum est, hodie nullus²⁾ mea quidem sententia locus scriptorum exstat, quo eis rebus, quas probare in animo habeo, aperte contradicatur.

Iam primum de foederatis, deinde de doryphoris et hypaspistis disseram.

I. De foederatis.

Qualis foederatorum condicio aetate posteriore fuerit, duo exstant loci, apud Procopium³⁾ et apud Olympiodorum.⁴⁾ gravissimum auctorem, qui fuit regnante Honorio. Quorum auctoritas au sequenda sit, eo minus in dubitationem vocari potest, quod optime inter se consentiunt. Leguntur autem haec apud Procopium, cui hoc loco, quid inter priorum et posteriorum temporum foederatos intersit, demonstrare in animo est: „ἐν δὲ δὴ φοιδεράτοις πρότερον μὲν μόνοι βάρβαροι κατελέγοντο, ὅσοι οὐκ ἐπὶ τὸ δοῦλοι εἶναι, ἄτε μὴ πρὸς Ῥωμαίων ἡσσημένοι, ἀλλ' ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ τῇ ὁμοίᾳ ἐς τὴν πολιτείαν ἀφίκοντο . . . τὸ δὲ νῦν ἅπανι τοῦ ὀνόματος τούτου ἐπιβατεύειν οὐκ ἐν κωλύμῃ ἐστὶ . . .“ Quibus verbis, quamquam a veterum foederatorum quasi natura, quippe qui non proelio victi sed foedere sua sponte cum populo Romano facto pars fierent imperii,⁵⁾ descitum esse facile

¹⁾ cf. Patzigum (Unerkannt und unbekannt geliebene Malalafragmente p. 13 Progr. d. Thomasschule Lipsiae 1891) qui verba „οὐδ' ἐκάλεσε φοιδεράτους“ minime a Malala esse scripta demonstravit. ipsius Mommseni benevolentia nuper, cum iam dissertationem confecissem, ut Patzigi legerem libellum, quod me fugerat, commonitus summo gaudio sum affectus, cum iam antea, quin sententia verborum stare non posset, non dubitavissem.

²⁾ Olympiodori locus (apud Muellerum 7) „ὅτι τὸ Βουκελλάριος ὄνομα ἐν ταῖς ἡμέραις Ὀνωρίου ἐφέρετο κατὰ στρατιωτῶν οὐ μόνων Ῥωμαίων, ἀλλὰ καὶ Γότθων τινῶν, ὡς δ' αὐτως καὶ τὸ φοιδεράτων κατὰ διαφόρων καὶ συμμιγῶς ἐφέρετο πλήθους.“ afferri nequit, cum utrumque nomen suam praebeat definitionem: „ὡς δ' αὐτως“ ad verba „ἐν ταῖς ἡμέραις Ὀνωρίου . . . ἐφέρετο“ referendum est.

³⁾ BV. I 11. p. 358 sq.

⁴⁾ no. 7. apud Muellerum IV p. 59.

⁵⁾ vide Mommseni „Römisches Staatsrecht“ III 1. p. 653.

intellegitur, tamen de hac re fortasse iure ambigitur, verbo „ἄπαι“ a scriptore posito utrum gentium dediticiarum — gentes enim foederatae, quae non sunt liberae, sunt dediticiae — an alius rei vis insit. Prorsus autem haec evanesceat dubitatio, ubi legeris apud Olympiodorum: „ὡς δ' αὖτως (scil. ἐν ταῖς ἡμέραις Ὀνωρίου) καὶ τὸ φοιδεράτων (ὄνομα) κατὰ διαφόρου καὶ συμμιγῶς ἐφέρετο πλῆθους“; nam „ἄπαι“ Procopii respondere Olympiodori „διάφορον καὶ συμμιγῆς πλῆθος“ luce est clarius. Habes igitur his foederatis non solum deesse libertatem, verum etiam eorum nomine omnino non significari gentes, quarum unaquaque unum efficit corpus, sed turbam militum ex omni genere hominum mixtam.

Has inter veteres et huius aetatis foederatos differentias Procopius commemorat, illam, quoniam ex eius verbis ipsa re nascitur, non commemorat: nam cum maximam foederatorum partem aetate imperatoria sub regibus fuisse constat,¹⁾ a militum gregibus undique conflatis, quales hi sunt foederati, regium nomen plane abhorrere facile intellegitur. Cum vero quisnam obtinerit regis locum, quaeres, hoc inprimis tenendum videtur regi per se fuisse gentem, qua annonis datis foederaticis²⁾ cum in bellis gerendis adiuveret Romanos tum fines imperii protegeret, duci autem horum foederatorum, antequam omnino haberet, quibus subveniret Romanis, milites aliquo pretio fuisse conducendos. Quicumque autem in copiis colligendis sua consumpsit, non dubitari potest, quin ad hanc rem accesserit ea spe ductus se inde certa sibi paraturum esse emolumenta.

Habemus igitur novum quandam et inauditum apud Romanos quaestum ad rem militarem spectantem, qui in eo positus est, ut conducat quispiam non villam aedificandam vel vectigalia publica exigenda, sed, ut ita dicam, ipsam reipublicae defensionem.

Atque haec mihi quidem ex Procopii et Olympiodori definitionibus efficienda esse videntur; de quibus quamquam in universum aliter iudicavit Mommsenus,³⁾ nomen solum utriusque foederatorum generis idem esse existimans condicionem prorsus diversam, tamen in hac parte haud contemnenda consentire eum

¹⁾ cf. Mommsenum l. l. p. 217 sq.: „durchgängig sind die Foederirten der Kaiserzeit Könige und Fürsten.“

²⁾ de quibus verba fecit Mommsenus l. l. p. 220.

³⁾ vide p. 2 et apud Mommsenum l. l. p. 234.

viro doctissimo mihi videor, quod is ipse quoque eos privatos, non publicos esse milites censuit.

Hos novos foederatos Honorii imperatoris aetate primum existisse Olympiodorus ¹⁾ auctor est. Quodsi, ut, quae supra exposuimus, experiaris rerum exemplis, fontes saeculi quinti perscrutaris, vereor ne non multa invenias huic rei idonea, quoniam neque imperatores novorum foederatorum condicionem legibus ordinaverunt, neque rerum scriptores ad disiungenda inter se militum genera satis magnam operam ²⁾ contulerunt. Sed si semel locum repereris, quo foederatorum mentio fiat, ibi saepissime significantur gentes foederatae, quas et ipsas vetus nomen retinuisse inde colligendum est. ³⁾ Equidem duo tantum, quae afferam, habeo exempla, quorum alterum minimi vel nullius momenti, alterum gravissimum, ni fallor, est.

Iam ut a minore exordiamur, legitur apud Malalam ⁴⁾ bello Persico, quod fuit Theodosio I imperatore, quendam interfuisse Areobindum „κόμητα φοιδεράτων.“ Quem praefuisse novis illis foederatis perspicuum est, neque in eo haerendum videtur, quod „comitis“ prae se fert dignitatem; nam privati quoque homines — et privatus quidem est dux foederatorum si non re at tamen iure — hoc nomen adeptos esse ⁵⁾ satis constat. Nihilominus, quoniam Malalas de tota re omnino non consentit ⁶⁾ cum ceteris auctoribus, hic locus in medio relinquendus est.

¹⁾ no. 7 apud Muellerum IV p. 59.

²⁾ Mommsenus l. l. p. 225, quamquam ad alias rei militaris res spectaus, dicit: „bei der incorrecten Redeweise der Schriftsteller dieser Zeit.“

³⁾ nonnullos saeculi quinti locos ad veteres foederatos pertinentes collegit Mommsenus l. l. p. 217 adn. 3 hoc addens: „dieser ältere und correcte Sprachgebrauch ist nicht, wie Procop sagt, in dieser Zeit abgekommen.“ Ait autem Proc. BV. I 11 p. 359: „... τῶν γρόνου τὰς προσηγορίας ἐφ' ὧν τίθενται ἕκαστα ἀξιοδότης τηρεῖν, ἀλλὰ τῶν πραγμάτων αἱ περιφερομένων, ἃ τὰυτὰ ἀξίον ἐθιλοῦσθαι ἀνθρώποι, τῶν πρόβθην αὐταῖς ὀνομαζόμενων ἀλιγοροῦντες.“ Quibus de verbis paulo insolentioribus utrum recte senserit vir doctissimus, an eis tantum significetur nominis vim esse propagatam, diiudicare non ausim.

⁴⁾ p. 364.

⁵⁾ cfr. Mommseni Ostgothische Studien, Arch. f. d. Geschichtsk. XIV, 510.

⁶⁾ Blassem, regem Persarum, aequalem Theodosii, solus Malalas commemorat, Blassem quendam cum Cabade de regno pugnasse Procopius, BP. I 5 p. 25. Malalas, ni fallor, idem bellum in animo habet, de quo verba

Alterum autem exemplum dignum est, quod tanquam obrussam eorum, quae de foederatis disputavimus, accuratius investigemus: dico Vitaliani contra Anastasium Augustum factam seditionem, quae, postquam Iohannis Antiocheni reliquiae, quae exstant in Constantini Porphyrogeniti „περί ἐπιβουλῶν“ libro, nuper in lucem prodierunt,¹⁾ satis recte diiudicari potest.

Vitaliani patrem fuisse Patriciolum „κόμητα φουδεράτων“ Theophanes auctor est,²⁾ eum bello Persico p. Chr. n. a. 508 gesto interfuisse apud Procopium legimus.³⁾ Iam ut ad ipsum Vitalianum progrediamur, de eius dignitate, quamquam Iohannes Antiochenus, de eius rebus gestis longe gravissimus auctor, ipsis verbis non dixit, tamen vix dubitari posse videtur. Causa enim, qua commotus arma contra imperatorem moverit, haec invenitur: „ἀφαίρεθεις γὰρ σιτήσεως δημοσίας τῶν καλουμένων φουδερατικῶν ἀνῶνων.“ Ergo propterea, quod is ipse annonis privatus est, cui rei fortasse haud omni ex parte Mommsenus⁴⁾ satisfecisse videtur, seditio orta est. Quodsi ipsi foederati in Thracia et Scythia consistentes hac re potissimum incitati ab Anastasio defecerunt, fieri non potest, quin eadem re vehementissime laesi esse putentur, vel, ut, quo tendam, demonstram, Vitalianum annonae foederaticiae, quibus tum privatus est, antea accepisse concludatur, quibus hos ipsos foederatos aleret. Cum vero eum regem non fuisse alicuius gentis foederatae certum sit, equidem Vitalianum sicut Patriciolum patrem ducem horum foederatorum fuisse persuasum

fecit Socrates, HEcl. VII 18, qui ipse quoque Areobindum quendam landat „ἕταρον τῶν Ῥωμαίων στρατηγόν“.

¹⁾ in Hermae vol VI p. 344—59 edidit eas Mommsenus et commentario instruxit.

²⁾ ad annum 6005.

³⁾ BP. I S. p. 39.

⁴⁾ Hermae vol. VI p. 350: „ein Befehl . . . , welcher den in Skythien und Thrakien stehenden Besatzungen die „annonae foederaticiae“ entzog.“ — Similiter Buryus (A History of the later Roman empire from Arcadius to Irene, London 1889. I p. 297) — Hodgkinus (Italy and her invaders, Oxford 1880. III p. 460) recte vidit ipsi Vitaliano annonas adeptas esse. Cum vero eum fugerit foederatorum nominis sententiam mutatam esse (Procopii „φουδεράτων“ dicit esse socios „of the early days of Rome“), rationem, quae est inter Vitalianum et copias eius parum intellexit: Vitalianum „distributor of the ration of the foederati“ fuisse putat.

habeo. Suffragatur huic sententiae Victor Tunnunensis,¹⁾ neque cum Mommseno²⁾ huic loco coniecturae periculum facere nobis opus est. Vitaliani autem foederatos „τάγματα“ a Iohanne appellari eo minus dubitationem afferre potest, quod hoc ipso nomine foederati etiam legibus Iustiniani significantur.³⁾ Quod vero ultro Hypatio, magistro militum per Thraciam, irati fuisse traduntur, inde novos foederatos eodem modo quo veteres⁴⁾ sub summo huius magistratus imperio fuisse descendum est. Vitaliano ergo et militibus eius nihil reliqui fuit nisi aut fame perire aut salutem armis petere.

Quibus scriptorum locis una addenda est lex ab Anastasio data,⁵⁾ qua „χαρτουλάριοι φοιδηράτων“ (certe imperatorii, non privati) commemorantur, quibus a susceptoribus⁶⁾ annonas foederaticias — sine dubio duci foederatorum reddendas — traditas esse ex ipsa lege concludi potest.⁷⁾ Nec sane mirum hunc regium magistratum, cui inprimis catalogos militum componendos⁸⁾ curae fuisse constat, in privato militum genere inveniri. Nam cum imperator foederatos, ut demonstravimus, de suo aleret, ei cavendum erat, ne plus pecuniae impenderet, quam pro numero foederatorum revera a duce conductorum impendendum esset.

Copiosior et uberior materies est, quae ad cognoscendos ipsius Iustiniani aetatis foederatos cum legibus tum Procopii scriptis praebetur.

Atque hic quidem rerum scriptor quod initio belli Vandalici describens⁹⁾ exercitum Romanum, cui bellum Gelimero inferendum

¹⁾ ad annum 510: „Vitalianus comes Patricioli filius.“

²⁾ Mommsenus (Hermae vol. VI p. 350 addn. 3): „vielmehr comitis.“

³⁾ Nov. Iustin. 148 c. 2.

⁴⁾ quod expressit Mommsenus („Ostgotische Studien“ in „Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde.“ vol. XIV p. 541.)

⁵⁾ Cod. Iustin. XII 37, 19.

⁶⁾ cf. ea, quae de erogatione annonae exposuit Hartmannus (l. I. p. 95. 96.)

⁷⁾ Invenimus enim chartularios nonnumquam a collatoribus frumentum coemisse, ut fuscus eis pretium frumenti solveret, ipsi autem e tota re lucrum facerent; — satis mirum hac lege chartularios numerorum quoque nominari; nam annonam numeris distribuendam non chartulariis, sed actuariis vel optionibus curae fuisse constat.

⁸⁾ cf. Nov. Iustin. 117. c. 11; Hartmannum p. 33.

⁹⁾ BV. I 11. p. 359.

erat, „ἀρχοντας φοιδεράτων“ quoque in medium protulit, hac re certum nobis, unde proficiscamur, paravit fundamentum. Nam cum novem foederatorum duces nominatim proferantur, ea, quae de eis memorantur, ad condicionem horum omnium ducum, quae de copiis eorum, ad condicionem omnium foederatorum iusto iure referri necesse est. Cum vero ad catalogum, quem dedit Procopius,¹⁾ exercitus initio belli Gothici in Italiam Belisario imperatore profecti spectes, quamquam postea foederatos quoque contra Gothos missos esse satis certum est,²⁾ nullus sane significatur foederatorum dux; leguntur enim haec fere: „ἀρχοντας δὲ ἦσαν ἑλλόγμοι μὲν Κωνσταντῖνός τε καὶ Βέσσας ἐκ τῶν ἐπὶ Θράκης γωρίων, Πανάριος δὲ ἐξ Ἰβηρίας τῆς ἄγχιστα Μήδων . . . , καταλόγων δὲ ἱππικῶν Βαλεντινός τε καὶ Μάγνος καὶ Ἰπποκέντιος, πεζῶν δὲ Ἡρωδιανός τε καὶ Παῦλος καὶ . . . , ἀρχηγός δὲ Ἰσαύρων Ἐννης.“ Neque tamen id, quod ex silentio scriptoris colligat quispiam, foederatos omnino non adfuisse ullo modo concludi potest, quoniam ipsius Procopii verba³⁾ „Βελισάριον ἔσταλλε στρατιώτας ἐκ καταλόγων καὶ φοιδεράτων τετρακισχιλίους ἔχοντα“ quam vehementissime obstant. Periclitantibus autem nobis, num ducis quoque eorum alicuius nomen in rerum gestarum narratione invenire possimus, felicissime occurrit mentio Cypriani, quem „ἀρχοντα φοιδεράτων“ fuisse Procopius nonnullis belli Vandalici locis⁴⁾ retulit. Quare cum initio et belli Vandalici et belli Gothici uniuscuiusque militum generis praepositi et eadem diligentia et eodem, quoad fieri potuit, ordine enumerati sint, num credi licet foederatorum duces illo loco nominatos esse, hoc silentio praetermissos?! Quae res cum satis sit mira et difficilis creditu praesertim in scriptore talium rerum curiosissimo, fortasse audacior non videatur, si quis coniciat eam vitio non esse vertendam Procopio, sed librario alieni, cuius negligentia ante⁵⁾ „καταλόγων δὲ ἱππικῶν“ sive solius Cypriani, sive complurium ducum foederatorum nomina intercederint.⁶⁾ Sed

¹⁾ BG. I 5. p. 26.

²⁾ BG. I 24. p. 116. (Martinus et Valerianus) cf. BV. I 11. p. 359.

³⁾ BG. I 5. p. 26.

⁴⁾ BV. I 11. p. 359; BV. II 3. p. 420.

⁵⁾ cf. p. 13. adn. 4.

⁶⁾ Equidem unum Cyprianum intercedisse crediderim; nam cum satis magna difficultas numero quatuor milium militum afferatur, quo numero tres equitum, quatuor peditem καταλόγους, Cypriani foederatos contineri necesse

ut illud in medio relinquamus, hoc videtur tenendum Gothico quoque bello ab initio foederatos interfuisse. Tertio vero, quod Procopius memoriae prodidit, bello, dico Persicum, quamquam in orientalibus quoque imperii partibus hos milites pugnasse ex ducum nominibus, quorum dignitas in bello describendo Vandalico a scriptore¹⁾ allata est, apparet, tamen, quoniam ipsa „φοιδεράτων“ vox his libris non legitur, nullus inveniri potest eorum dux adhuc nobis ignotus.

Sed quamquam novem foederatorum duces omnino a Procopio afferri vidimus, tamen eorum numerum latius patuisse credendum est. Nam cum saepe milites, quos foederatos esse constat, „ἐπόμεινοι“²⁾ ducis nominentur, aliis locis eadem voce non solum milites ei, quorum cum duce suo similis necessitudo est, verum etiam, qui sub perpetuo alicuius regii praefecti imperio sunt, significantur,³⁾ fieri non potest, quin, si alicuius ducis, cuius condicio ignota est, „ἐπόμεινοι“ commemorentur, an foederatos duxerit, dubitemus. Neque tamen de singulis locis certi quicquam statui potest. Et in universum quidem ad rem propositam illa res minoris est momenti, hoc autem aegre fero in numero eorum, de quibus dubitatur, contineri Iohannem Vitaliani nepotem, qui-

est (cf. p. 13 et Mommsenum, l. l. p. 255 sq.), haec difficultas aucto numero ducum foederatorum eaque ratione ipsorum foederatorum immo crescit. Totus locus Mommseni de foederatis sententiam, ni fallor, valde impugnat. Nam si „foederati“ alterum sunt nomen „doryphorum et hypaspistarum“, fieri non potest, quin in numero quatuor milium Belisarii „domus“ contineatur. Quoniam autem eam postea septem milium militum fuisse Procopius auctor est (BG. III l. p. 282 sq.) — etiamsi in Italia in duplum vel triplum auctam esse concedimus — tamen equidem, quomodo vel duo milia militum inesse possint in quatuor milibus „ἐκ καταλόγων καὶ φοιδεράτων“, nescio. Numero quinque milium, de quibus Belizarius Iustiniano scripsit (BG. I 24. p. 114), totum exercitum, qui Romam urbem defendebat, contineri unis doryphoris et hypaspistis exemptis verba probant Procopii (BG. I 22. p. 107): „ἐκ παντοκρηλίου γὰρ μάλιστα τὸ βασιλικὸν στρατόμα ἐν Ἰώματι . . . ἕσθη.“

¹⁾ velut BP. I 22. p. 111 (Martinus), BP. I 13. p. 63. (Cyrillus et Marcellus); ipsam foederatorum vocem his libris non legi fortasse inde natum est, quod Procopius narrans bellum intra fines imperii gestum, scilicet quod copiis in Asia consistentibus mandatam est, non tantum studium in militum quantum in ducum catalogum componendum contulit.

²⁾ velut BV. II 13. p. 463; BG. II 26. p. 254; BG. IV 33. p. 628.

³⁾ velut BP. I 8. p. 42; BG. IV 21. p. 571.

busdam belli Gothici annis praestantissimum praeter Belisarium ducem: at tamen ex aliis argumentis nonnulla probabilitate de condicione eius iudicari potest. Quamquam enim Procopius ante primum Belisarii ex Italia discessum, quem locum Iohannes obtinuerit, ipsis verbis non dixit, tamen eo, quod octingentos equites eius Thraces opposuit „καταλόγοις“¹⁾ cum non regios miles duxisse significare videtur. Cum vero altero loco²⁾ verbis Iohannis, quem dicentem Procopius facit, idem significari videatur de copiis non solum ipsius, verum etiam Vitaliani (vel Damiani), quem foederatorum ducem fuisse certum est, Iohannem quoque „ἀρχοντα φοιδεράτων“ fuisse equidem putem, quamquam esse, in quibus haereri possit, non ignoro.³⁾

Quoniam duces foederatorum a principio praefuisse numeris quoque vel aliis imperii militibus nunquam uno omisso Dorotheo⁴⁾ commemoratur, eos plerumque homines fuisse privatos⁵⁾ colligendum est. Nec sane mirum est Iustinianum haud libenter eis, qui mercenarios conduxerant, imperium militum publicorum addidisse, quia metueret, ne potentia eorum nimis cresceret. Altera autem ex parte hoc videtur attendendum novem, quos novimus duces foederatorum, postquam diutius fideles et fortes se praestiterunt, (tres eorum praematura morte crepti sunt) tres magistrorum militum,⁶⁾ unum ducis Numidiae,⁷⁾ locum adeptos esse. Cum vero in dignitatis accessione, ut vidimus, haud ita rara fieri non potuerit, quin duces ipsi foederatorum huius rei ab initio rationem habuerint, iam praeter lucri studium, quod

¹⁾ BG. II 5. p. 163 sq.

²⁾ BG. II 7. p. 176 et BG II 12. p. 193: „ὅτε τοσοῦτον ἴκλων περιόχθη τὸν βασιλέως στρατόν.“

³⁾ praecipue in eo, quod equites eius Thraces nominantur, (cf. p. 14) multo post (BG. IV 31. p. 618) „τῶν ἄλλων γὰρ: τῶν στρατιωτῶν, ἡγουσέσθων τε καὶ ἰπαστασιῶν καὶ βραβύρων ὄντων. . . . πλεθροῦς“ apud eundem commemoratur.

⁴⁾ BV. I 11. p. 359: „ὁ τῶν ἐν Ἀρμενίᾳ καταλόγων στρατηγός.“

⁵⁾ cf. p. 6.

⁶⁾ Valerianum (BP. II 24. p. 261), Salomonem (BV. II 18. p. 493), quem domesticum fuisse Belisarii sine dubio alicuius momenti est, Martinum (BP. II 24. p. 261), quem in duos personas index editionis Bonnensis prorsus prave dividit. Autumno enim anni 532 Persis traditus obses (BP. I 21. p. 111) et pace facta redditus sequentibus annis in Africa et Italia pugnavit. Autumno anni 539 cum Belisario Constantinopolim reversus (BG. III 1. p. 280) anno 540 magister militum per Orientem factus est.

⁷⁾ Marcellum (BV. II 15. p. 481.)

rectissime, ut ipsa re docemur, commemoravit Mommsenus,¹⁾ alteram videmus causam, qua adducti conduxerint milites mercennarios, quos offerent imperatori.

Magnitudinem copiarum, quibus singuli duces praefuerunt, haud fuisse lege circumscriptam ex ipsa foederatorum generis natura sequitur: velut Martinus et Valerianus cum mille sescentis equitibus Belisario in Italiam auxilio mittuntur,²⁾ Althias³⁾ non amplius septuaginta equitum manum duxisse videtur. Itaque quamquam re quoque cognosci potest copias uniuscuiusque ducis nequaquam inter se fuisse pares, tamen ex quinque milibus equitum, qui cum Belisario contra Vandalos missi sunt,⁴⁾ imaginem singulorum agminum, quanta plus minus fuerint, fingere fortasse licet. Quos equites sub imperio ducum quatuor „numerorum“, novem foederatorum fuisse traditur. Quoniam autem „κατάλογοι (παικροί“ lege quidem numerum quingentorum equitum explevisse videntur,⁵⁾ minuti autem tum ruina rei militaris quadringentorum numerum vix egressi esse videntur,⁶⁾ unicuique quoque foederatorum duci idem numerus, id est quadringentorum militum efficitur. Optime cum hac re convenit (Cyrillum⁷⁾ ineunte bello revera cum quadringentis equitibus in Sardiniam missum esse.

Vidimus duces foederatorum aetate Iustiniani ducibus „numerorum“ magnitudine copiarum vix superiores fuisse. Qua re sane magna ex parte declaratur, qua de causa hoc militum genus haud eo, quo conicias, modo rei publicae nocuerit, ut duces foederatorum, quippe qui multo maiorem suarum copiarum potestatem haberent quam regii praefecti, imperatoris imperium recusarent: unus omnium Iohannes, Vitaliani nepos, — de quo ultro, num omnino dux foederatorum fuerit, dubitari potest — in numero hostium Belisarii fuit.⁸⁾

¹⁾ cf. l. l. p. 238: „die Anwerbung eine Speculation“.

²⁾ BG. I 27. p. 125.

³⁾ BV. II 13. p. 463.

⁴⁾ BV. I 11. p. 359.

⁵⁾ cf. Mommsenum, l. l. p. 255 sq.

⁶⁾ Procopius (HA. 24. p. 133): „ὅ μὴν οὐδὲ τῶς καταλόγους ἐπλήρουσιν, καὶ τὰυτα χρόνου συχνοῦ.“

⁷⁾ BV. I 11. p. 358.

⁸⁾ velut BG. II 21. p. 231. — Martinum (BG. II 21) ob ignaviam, haud ob immodestiam cunctasse crediderim.

Neque tamen hac res adeo, quominus Vitaliani aetate Iustiniana exstiterint, fuit impedimento quam altera: nam cum Anastasio Augusto annonae foederaticiae a re publica duci ipsi, ut supra¹⁾ probare conati sumus, praebitae essent, quas copiis suis divideret, aetate Iustiniani longe alia res erat. Nonnullis enim constitutionibus²⁾ foederatorum „δρατῶνες“ quos tempore posteriore dispensatorum locum obtinuisse satis constat, commemorantur. Quoniam autem in quadam³⁾ lege Codicis a Iustiniano data, quae non solum ad foederatos, sed etiam ad numeros et scholas spectat, foederatos sub optionibus, numeros sub magistris militum stipendia meruisse legitur, inde optiones regios, minime privatos, id est ducis, fuisse colligendum esse videtur: nam si privatos magistratus Iustinianus in medium producere voluisset, fieri non potuit, quin in hac lege summis militum imperatorum ducibus summi quoque foederatorum duces, „κόμητες vel ἀρχόντες φοιδερᾶτων“ responderent: his omissis cum regios tantum lege nominari ministros, tum optionem foederatorum regium fuisse statuendum est. Iam si ea, quae exposui, satis probavi, vix plura addenda sunt, quibus stipendia Iustiniano Augusto unicuique militi foederato ab optione data esse demonstretur. Nam non ea sola re officium optionum circumscriptum fuisse, ut pecuniam darent ducibus, qui eam singulis militibus tribuerent, quis est, qui neget? Quae res, ut iam unde egressi sumus revertamur, quanti fuerit momenti, perspicuum est; foederati enim e manu eius, qui eos conduxerat, in manum imperatoris transgrediebantur. Haud, ut opinor, erro statuens huius mutationis sive Anastasio sive Iustino sive Iustiniano auctore factae causam fuisse seditionem Vitaliani.

Si ad ipsos aggredimur foederatos, id inprimis videtur attendendum hanc militiam honoratiorem fuisse, quam eorum, qui in numeris stipendia merebant. Neque solum foederati a Procopio⁴⁾ semper primo loco enumerantur, verum etiam in lege

¹⁾ cf. p. 7.

²⁾ cf. Nov. Iust. 116. cap. 1; Nov. 117, cap. 11. Cod. Iust. IV 65, 35.

³⁾ Cod. Iust. IV, 65, 35: „milites autem appellamus eos, qui tam sub excelsis magistris militum tollerare noscuntur militiam, quam in undecim devotissimis scholis taxati sunt, nec non eos, qui sub diversis optionibus foederatorum nomine sunt decorati.“

⁴⁾ BV. I 11. p. 359; BV. II 3. p. 420 sq.; BV. II 15. p. 481.

quadam¹⁾ inter scholas et numeros nominantur. unde, quoniam scholae priores quam numeri partes agebant, foederatos numeris praecessisse colligendum est. Atque etsi mercennarios a privatis conductos militibus rei publicae antepositos esse satis videtur mirum, tamen non dubitari potest, quin id propterea factum sit, quia labante imperio Romano unus barbarus bello idoneus aestimabatur.¹ Quamquam autem maximam partem etiam eorum, qui in numeris militabant, barbaros fuisse ex Procopii scriptis intellegitur, tamen ipsi numero origo tamquam macula inhaerebat, foederatorum contra genus prorsus ab omni Romana institutione abhorrebat.²⁾

In foederatorum numero numquam³⁾ pedites inveniuntur; nec quisquam eos omnino in hoc militum genere satis, ut vidimus, honorato fuisse putabit, modo iamdiu⁴⁾ pedites fortitudine et usu superatos esse ab equitibus, praecipue aetate Iustiniani ut ex Procopio intellegitur, despiciatui eos ductos esse memoria teneat. De eorum armatura, quamquam nihil ipsis verbis traditum inveni, tamen eo, quod in pugna contra Vandalos foederati praemittuntur, Belisarius ipse cum doryhoris hypaspistisque et equitum numeris sequitur,⁵⁾ eos in equitibus levis armaturae non cataphractariis annumerandos esse quadam probabilitate concludi potest, praesertim cum id ipsum optime naturae foederatorum conveniat.

Mixti enim sunt foederati, ut iam supra vidimus, ex omnibus nationibus, ea tamen lege, ut — quod vix memoratu dignum est — homo non barbarus raro in eis militaverit; si quando corpus aliquod foederatorum ex una eademque natione constituisse legi-

¹⁾ Nov. Iust. 117. cap. 11. — Cur foederati IV 65, 35 Cod. Iust. (cf. p. 13. adn. 3.) loco ultimo nominentur, ex verbis „nec non“ perspicuum fit.

²⁾ Mommsenus, l. l. p. 206: „denn in dieser Epoche gilt jede Truppe um so mehr, je weiter sie von Römischer Nationalität und Römischer Formation sich entfernt.“

³⁾ BV. II 7. p. 441. cf. BV. II 3. p. 420. (vide Mommsenum l. l. p. 237 adn. 2).

⁴⁾ Vegetius I 20: „nam licet exemplo Gothorum et Alanorum Hunnorumque equitum arma profecerint, pedites constat esse nudatos“. Huius rei auctorem Gratianum Vegetius dicit.

⁵⁾ BV. I 19. p. 388.

mus,¹⁾ certe casu natum est neque eis, quae exposuimus, potest opponi. Conducuntur autem mercede ex gentibus non solum eis, quae cum republica Romana foedere coniunctae²⁾ sunt, verum etiam ex externis, neque praeter eos populos, quos apud scriptores inveni, Gothos,³⁾ Erulos,⁴⁾ Hunnos,⁵⁾ Sclavenos⁶⁾ Antos,⁷⁾ alios inter foederatos versatos esse nego.

Singulos homines, qui foederati stipendia merebant. Anastasio imperatore in tabulas a chartulariis relatos esse supra vidimus. Qamquam autem utrum chartularii foederatorum⁸⁾ sub Iustino quoque et Iustiniano fuerint, an, cum, tollerentur, eorum provincia optionibus mandata sit, ne nimius fieret numerus magistratuuum imperatoris in privatis militibus, dubitari potest,⁹⁾ tamen nullo modo credendum est eos, qui rei publicae praecerant, hac aetate minorem diligentiam in id contulisse, ne pecuniam sive aliqua ex parte frustra, sive eis solverent, quos foederatos esse nolebant. Nam cum illud lege¹⁰⁾ demonstratur, qua, ne foederati sicut milites numerorum aliis rebus quam militiae incumbenter, cautum est, hoc ex eo colligi potest, quod tum constitutione¹¹⁾ sancitum est haereticos quoque foederatis ascribi posse, quod, quin antea, aut vetitum aut non vetitum, revera factum sit, non dubito.¹²⁾

¹⁾ cf. p. 11. adn. 3. et BV. II 13. p. 463.

²⁾ BG. III 33. p. 419.

³⁾ Cod. Iust. I 5, 12, 17.

⁴⁾ BG. III 33. p. 419.

⁵⁾ BV. II 13. p. 463; BG. I 27. p. 125.

⁶⁾ BG. I 27. p. 125. BG. II 6. p. 254.

⁷⁾ BG. I 27. p. 125.

⁸⁾ cf. p. 8.

⁹⁾ cf. Nov. Iust. 117. cap. 11, ubi chartularii numerorum, optiones foederatorum nominantur.

¹⁰⁾ Nov. Iust. 116.

¹¹⁾ Cod. Iust. I 5, 12, 37.

¹²⁾ quoniam barbaros, quos foederatos stipendia merere vidimus, maxima ex parte Arianos sive omnino non Christianos fuisse constat. Huic sententiae opponi non potest in Vitaliani seditione Iohannem Antiochenum (Hermac vol. VI p. 345) dicere: „τοὺς ἐπιόντας τῆν ἑμεῖν τῆς θρησκείας προβῆλλεσθαι μέμψιν (scil. Anastasio).“ Nomen enim defensoris fidei catholicae prae se tulisse Vitalianum, ut „ἀγροάτου ἀνδρα;“ et urbem Constantinopolim in suas partes duceret, mirum non est. — Arianorum quoque exercitus Romani, qui in Africa seditionem movebant, multos fuisse foederatos crediderim (BV. II 14. p. 470).

Altera autem ex parte foederatos honorum quoque et commodorum militum ceterorum participes fuisse ex nonnullis rebus colligi potest: velut legimus eos cingulo¹⁾ ornatos fuisse et uxores eorum eodem modo quo militum numerorum, dum mariti bello interessent, alteras nuptias contrahere²⁾ vetitas esse.

Iam si quaerimus, quaenam locum corpus quodlibet foederatorum obtinuerit, postquam dux eius, quod haud raro accidisse supra³⁾ vidimus, imperium partis regii exercitus adeptus est, necessitudinem inter ducem et foederatos saepe prorsus eandem mansisse Procopius auctor est,⁴⁾ cum nonnunquam nihil nisi nomen foederatorum sublatum esse⁵⁾ videatur, eo scilicet consilio, ne diutius impensae in annonas faciendae a fisco praestandae essent.

Mortuo autem eo, qui foederatos conduxerat, quamquam ex iure quidem fieri non poterat, quin copiae dissolverentur, tamen revera rarissime hoc accidisse, quoniam cum magno et singulorum militum et ipsius imperatoris damno factum esset, etiamsi de hac re nihil notum esset, conici potest. Ratio autem, qua prohibitum est, ne copiae perirent, eis, quae de privata, ut ita dicam, natura foederatorum exposuimus, optime convenit: nam quod foederatis praefuisse primum Patriciolum, qui ultro filium in castris secum habuisse traditur,⁶⁾ deinde filium Vitalianum certa, tum nepotem Iohannem probabili ratione statuimus hoc vix ullo modo facilius declarari potest, quam ponendo patrem filio sive ali consanguineo foederatos ducendos quasi hereditatem reliquisse Eadem autem re effici videtur Danianum cum Vitaliano patruo, duce foederatorum aetate Iustiniani, in Italiam ivisse et nonnunquam partem copiarum eius duxisse.⁷⁾

¹⁾ Iust. Nov. 116

²⁾ Iust. Nov. 117. cap. 11.

³⁾ cf. p. 11.

⁴⁾ Dorotheus (BV. I 11. p. 359); Marcellus (BV. II 15. p. 481).

⁵⁾ Vitaliani, mag. mil. per Armeniam „δουροφόροι τε καὶ ὑπασπιστὰι πλείων ἤ χίλιοι: (BG. III 27. p. 391) pristini eius foederati mihi videntur. Qui Mommseni sequuntur de foederatis sententiam, eos huic loco multum tributuros esse non ignoro.

⁶⁾ BV. I 8. p. 39.

⁷⁾ BG. II 7. p. 176: „καὶ οἱ τῶν τε Βαλεριανῆ ἐπομένων τετρακιστῶν ξυνέπεμψεν, ἂν Δαμιανός, ὁ Βαλεριανοῦ ἀδελφεὸς, ἤρχε“

Postremo loco quaestio proferatur, cui me satis respondere non posse fateor: Quid? sub Anastasio foederati ad fines imperii protegendos inprimis usui erant, sub Iustiniano praecipue — nam semel tantum eos limitem imperii custodientes invenimus¹⁾ — ad gerenda bella externa? Ac fieri quidem potest, ut aliter res se habuerit, cuius falsa imago inde nata sit, quod externis maxime bellis enarrandis Procopius studuerit; tamen equidem partes foederatorum re mutatas esse magis crediderim, quoniam Iustiniano imperatore custodiam limitum omnino prorsus iacuisse satis constat.

Quoniam vidimus eos, qui rei publicae Romanae praecerant, prudentia atque sollertia id consecutos esse, ut foederati, milites a privatis hominibus mercede conducti, longe minus quam putaveris periculosi imperio fierent, hoc denique haud nimiam admirationem movebit foederatos etiam Constantinopoli constitutos esse; neque enim solum apud Procopium²⁾ legimus anno post Christum natum 548 Artabanem quendam in urbem revocatum magistrum militum in praesenti et „ἀρχοντα φοιδεράτων“ a Iustiniano creatum esse, sed etiam apud Malalam³⁾ et Theophanem⁴⁾ Confessorem Eusebius „κόμης φοιδεράτων“ commemoratur, quem, quoniam eius erga imperatorem fidelitate coniuratio anni p. Chr. n. 562 haud minima ex parte ad irritum redacta est, Constantinopoli militibus praefuisse verisimillimum est. Hos foederatos praesidio aulae imperatoriae constitutos fuisse per se intelligitur, illud autem utrum „κόμης“ eorum summus dux foederatorum ab aliis conductorum, ut Mommseno⁵⁾ videtur, fuerit, an ipse hos equites conduxerit, dubitari potest, quoniam de hac re nihil traditum est. De alia autem re, id est de tempore quo primum hi foederati Constantinopoli exstiterunt, certius iudicari potest. Nam cum in seditione illa, quam verbo „νίκαι“ significare consuevimus, tantum abfuisset, ut scholae, quas tum imbellissimas

¹⁾ BV. II 13. p. 463: „ἐτόγγανε δὲ Ἀλθίας ἐν κεντρούραις (cf. Mommsenum, l. l. p. 271 adn. 1) τῶν ἐκείνη φρουρίων φυλακῶν ἔχον“

²⁾ BG. III 31. p. 406.

³⁾ Hermae vol. VI p. 379.

⁴⁾ ad annum 6055. [Mauricius quoque, qui exercitum quindecim milium militum duxit (Theophanes ad annum 6074) hoc loco nominandus esse videtur.]

⁵⁾ l. l. p. 238.

fuisse Procopius¹⁾ et Agathias²⁾ auctores sunt, defendendo imperatori sufficerent, ut nisi barbaris Mundi et Belisarii doryphoris hypaspistisque, qui forte fortuna aderant, Iustiniano regnum servatum³⁾ non sit, quid commodius et melius praesidio imperatoris excogitari poterat, quam copiae prorsus barbarae in ipsa urbe collocatae? Credemus ergo foederatos et duces eorum paulo post annum 532 p. Chr. n. primo Constantinopoli constitutos esse.

II. De doryphoris et hypaspistis.

Doryphori hypaspistaeque a Procopio non solum in unoquoque fere capite commemorantur, verum etiam saepissime ab eodem narratiunculae ad eos pertinentes insertae sunt; quam rem Procopium sic instituisse nequaquam aegre ferendum est; nam primum quidem hac ratione optime vitam et mores exercituum, quibus Belisarius et Narses praecerant, illustravit,⁴⁾ deinde, cuius rei nostra plurimum interest, peropportune praebuit, quod fundamentum disputationis de hoc militum genere instituendae iaci potest.

Ac doryphoros hypaspistasque militarem ducum vel tribunorum comitatum fuisse nemo adhuc negavit, nec, qui Procopii libros tantummodo percucurrerit, unquam negabit. Hunc autem comitatum privatum fuisse, non publice ex militibus rei publicae ad praesidium ductorum delectum, quamquam hoc quoque, quod postea sescentis videbimus vix documentis, quibus confirmetur, indiget, maxime ex eo cognosci potest, quod summa satellitum, quos Belisarius secum in Italiam duxit, a Procopio⁵⁾ in summam exercitus imperatorii non comprehensa est, et a Malcho⁶⁾ ultro, gravissimo auctore, hic stipatores dilucide „κοινοῖς τάγμασι“ et „δημοσίᾳ στρατιᾷ“ opponuntur.

¹⁾ HA. 24. p. 135 sq.

²⁾ V. 15. p. 310—11.

³⁾ BG. I 24. p. 126.

⁴⁾ id quod adnotavit Dahnus I. I. p. 394 adn. 2.

⁵⁾ cf. p. 9 adn. 6.

⁶⁾ apud Muellerum IV No. 18.

Iam ut ab ipsis nominibus „δορυφόρου“ et „ὑπασπιστοῦ“ proficiscamur, utraque vox antiquissima est. Atque hac quidem iam a tragicis poetis¹⁾ Graecorum et rerum scriptoribus veterimis²⁾ est significatur, qui alterius militis scutum fert; quae propria vocis vis, quamquam aetate Philippi et Alexandri Macedonum nomen „ὑπασπιστῶν“ illi peditum generi³⁾ clarissimo tributum est, tamen et hoc tempore et postea mansit. Illa autem, quae a principio ad custodias regum vel tyrannorum significandas adhibita est,⁴⁾ aetate principum Romanorum Graeci rerum scriptores, quo erant studio fugiendi latina verba quibusvis rebus publice data, ad praetorianorum⁵⁾ potissimum militum nomen exprimendum utebantur, velut Herodianus⁶⁾ ait: „ . . . καὶ οἱ δορυφόροι, οἷς δὴ πραιτωριανούς καλοῦσιν.“ Immo vero etiam saeculo p. Chr. n. sexto a scriptoribus, qui probo ac venusto generi scribendi studebant, haec vox omnibus tribuebatur, quibus imperatoris praesidium mandatam erat: velut Procopius non solum Odoacrum, quem „protectorem“ fuisse crediderim,⁷⁾ hoc nomine appellavit, verum etiam praefectum quendam complurium numerorum equitum verbis⁸⁾ „βασιλέως . . . Ἰουστινιανοῦ δορυφόρος, ἐπεὶ ἐς τοὺς κανοδάτους καλομένους τελῶν ἔτυχεν“ laudavit, et Agathias⁹⁾ simili ratione hominis, qui scribonibus adscriptus erat, mentionem fecit.

Sed cum eis locis, quos attulimus, quique non allati haud rari numero pares eis exstant, voci „δορυφόρου“ nihil insit nisi adumbratio atque interpretatio¹⁰⁾ nominis publice

¹⁾ velut apud Euripidem (Phoeniss 1213 [Nauck.]).

²⁾ velut apud Xenophontem (Hell. IV 8, 39).

³⁾ cf. K. F. Hermannum (Griechische Antiquitäten II 2. ed. Droysen p. 110 adn. 3).

⁴⁾ velut apud Euripidem (Electra 616) et Xenophontem (Cyr. inst. VIII 5, 3).

⁵⁾ velut apud Plutarchum (Galba 13).

⁶⁾ V 4, 8.

⁷⁾ BG. I p. 6. — Buryus (l. l. p. 276 sq.) — nescio quo iure — Odoacrum Orestis armigerum fuisse contendit. — De protectoribus cf. Mommsenium (Ephem.-epigr. V p. 133 sqq.).

⁸⁾ BG. III 38. p. 441. — de candidatis cf. Mommsenium l. l. p. 222 adn. 2.

⁹⁾ III 14. p. 171. — de scribonibus cf. Schlumbergerum (Sigillographie de l'empire Byzantine p. 360).

¹⁰⁾ omnibus his locis comparationis aliquid inesse, quod contendit Mommsenius (l. l. p. 237 et adn. 6), libenter concedo; Petrus fortasse „δορυ-“

dati, rem de doryphoris hypaspistisque, de quibus nos agimus, aliter se habere fortasse quis putet ut ex eo potissimum cognosci possit, quod Procopius utrique vocabulo numquam eo modo, quo supra factum vidimus, nomen adiunxerit, quod publicum accipi possit. Tamen vero totam differentiam in eo positam esse, quod hi satellites — neque haec res, dummodo de privatis agi militibus teneatur, nimiam admirationem movebit — nomine carebant publice dato demonstrati potest, nam ut illud omittamus duas voces apud Procopium constanter significantes duo stipatorum genera, quorum hoc altiorem, illud minorem gradum dignitatis tenere infra¹⁾ videbimus, ab aliis scriptoribus haud eadem subtilitate²⁾ inter se disiungi, hoc tamen minime negligendum est apud plurimos scriptores alia horum militum nomina inveniri. Componentes autem nos catalogum eorum nominum, quae legimus, in praesens praetereamus hanc quaestionem, utrum singula nomina ad unum satellitum genus, an ad totum comitatum referenda sint, quoniam et summam de hac re iudicari nequit propter verborum licentiam, quam singuli scriptores sibi sumpserunt, et usus eorum, qui ad cognoscendas utriusque generis differentias alicuius momenti sunt, postea tractabitur. Et apud Prosperum quidem Aquitanum³⁾, Marcellinum comitem,⁴⁾ Corippum⁵⁾ „armigeri“⁶⁾ commemorantur, quos doryphoris hypaspistisque Procopii respondere maxime ex Corippi poetae Iohannide intelligitur. Quod nomen⁷⁾ cum congruat cum voce doryphori et

φόρος Ἰουστινιανὸς βασιλεὺς“ (BP. I 18. p. 90) non nominatur nisi hoc sensu. Similiter BV. I 8. p. 346.

¹⁾ cf. p. 68 sq.

²⁾ eodem modo quo Procopius, Theophanes, ubi cum sequitur vocabis δαρυφόρου et ὑπασπιστοῦ utitur. Agathias non nominat nisi vocem δαρυφόρου. Zosimus (V 11) totum comitatum δαρυφόρους nominare videtur, contra apud Iohannem Antiochenum (Hermae vol. VI p. 328) et uno loco Theophanis (ad annum 5964) voce ὑπασπιστοῦ Procopii δαρυφόρους significari crediderim.

³⁾ ad annum 455.

⁴⁾ ad annum 545.

⁵⁾ saepissime.

⁶⁾ Titulum (CIL. VI 2 no 9191) ad armigeros prioris aetatis, qui servi sunt, spectantem attulit Mommsenus (Ostgothische Studien I. I. 513. adn. 6)

⁷⁾ Lydi (de magistratibus I 45) ἄρμιγεροι = ὄπλοφόροι; ἀστάτοι = δαρυφόροι; βρεξιλλόροι = δαρυφόροι; αὐξιλιάροι = ὑπασπιστοί mentionem non feci, quia an illa ad hos satellites referenda sint, omnino nescio.

hypaspistae eo, quod ipsum quoque homines arma ferentes significat, unum contra exstat — praetermissis eis, quae quasi interpretationes nominis esse videntur velut amicorum,¹⁾ clientulorum,²⁾ πλῆθους Γοσθικῶν³⁾ plane singulare: dico vocem bucellarii;⁴⁾ tamen de eius origine et vi, quoniam de utraque veterum iudicia⁵⁾ in universum recta et perspicua ad nos pervenerunt, ambigi non potest. Buccellarii enim omnes comitatus satellites appellabantur — et a militibus rei publicae hoc primo ludificandi causa factum esse conici fortasse licet — quod pane sive, ut origo vocis appareat, quod bucella domini, quem sequebantur et protegebant, alebantur.

Quo tempore doryphori hypaspistaeque primum exstiterint, ab eodem Olympiodoro,⁶⁾ qui de foederatis quoque verba fecit, traditur: „(ὅτι) ἐν ταῖς ἡμέραις Ὀνωρίου τὸ Βουκελλάριον ὄνομα ἐφέρετο κατὰ στρατιωτῶν οὐ μόνον Ῥωμαίων ἀλλὰ καὶ Γόσθων τινῶν“; quod testimonium mentionibus scriptorum, quae a fine saeculi p. Chr. n. quarti initum ducunt, optime firmatur.

Iam a Claudiano poeta doryphoros hypaspistasque Rufini commemorari Mommsenus⁷⁾ rectissime adnotavit; nec mirum Rufinum praefectum praetorio omni modo sibi parasse militare

¹⁾ Prosper Aquitanus ad ann. 455.

²⁾ Iordanes, Romana §. 369.

³⁾ Malalas p. 475.

⁴⁾ Notitia Dignitatum ed. Seeckius. p. 21; Olympiodorus apud Muellerum IV no. 7 et 11; Gregorius Turonensis, hist. Franc. II 8 (ex Annal. Ravennat. cf. Holder - Egger N. Arch. f. ält. deutsche Geschichtsk. I p. 356 p. 268); Additamenta ad Prosperum Havniensia (MG. SS. AA. IX p. 303); Cod. Iust. IX 12, 10. — De ratione scribendi vocem „bucellarii“ cf. Schlumbergerum p. 301. adn. 1.

⁵⁾ Recte de ea re iudicaverunt Schol. ad. Bas. 60, 18, 29 (cf. Veteres glossas verborum iuris, Otto, Thes. iur. Romani III col. 1718) et Olympiodorus no. 11, qui in hac sola re erravit, quod a verbo „bucellarii“ profectus est, quippe ex quo forma „bucellatarii“ manasset (ut cod. Cassin. 439 glossarum apud Goetzium, Corp. gloss. I. p. 137 exhibet; glossatores latini vocem bucellarii interpretantur vocibus adseclae, clientis, parasituli, scurae) — De aliis bucellariis Constantinus Porphyrogenitus (de thematibus I th. 6) dicere videtur.

⁶⁾ apud Muellerum IV no. 7.

⁷⁾ l. l. p. 235. adn. 3 (Claudianus in Rufinum II 76—77).

auxilium, quod Stilichoni magistro militum opponeret. Sed cum idem poeta Stilichonem laudibus efferat, quod

„cessantibus armis

Contentus lictore venit, nec inutile quaerit

Ferri praesidium solo munitus amore“¹⁾

in ipso studio, quo Claudianus heroa suum secum duxisse militarem comitatum negat, haerendum videtur, praesertim cum Zosimus²⁾ ipsis verbis Mascizelem, Gildonis fratrem, a „doryphoris“ Stilichonis interemptum esse narraverit.³⁾

Paucis annis post bucellariorum nomen in libro illo publico, qui „Notitia Dignitatum“ inscriptus est, legitur: qui locus cum difficillimus sit, accuratius tractandus est. Inveniuntur enim in numero „vexillationum comitatensium“, qui sub „dispositione“ magistri militum per Orientem erant, „equites bucellarii cataphractarii iuniores“. ⁴⁾ Quo in loco, qui nobiscum bucellariorum nomine idem genus hominum ac doryphororum hypaspistarumque significari compertum habet, valde haerebit, cum satellitum privatorum naturam plane a militibus rei publicae abhorrere luce clarius sit. Cuius difficultatis amovendae Boeckingius viam iniit, quam omnes⁵⁾ adhuc praeter Mommsenum secuti esse videntur, hac usus ratiocinatione: voce bucellariorum, quae in Notitia invenitur, omnino non veros bucellarios, sed Gallograecos significari eodem modo, quo Gallograeciae nomen „τὸ Βουκελλᾶριον“⁶⁾

¹⁾ de consulatu Stilichonis III 220—23; quamquam adnotandum videtur paulo ante legi: „nec . . . vexat legionibus urbem“, unde non esse sentiendum nisi de his colligat quispiam.

²⁾ V 11.

³⁾ Legenti mihi apud eundem poetam (de bello Gildonico 175, 176) de Gildone: „dapibus crudelis in ipsis Emicat ad nutum stricto mucrone minister“ in mentem venit similia rerum, quas narrat Procopius (BV. II 18. p. 491; II 28. p. 528). — Utrum hoc loco nominandus sit Subarmarechius („οὗτος τῶν δορυφόρων ἦν ἤγεμόν πιστότατος τῆ εὐνοόχῃ Εὐτροπίῃ, εἴπερ τις ἄλλος“ [Eunapius no. 77 apud Muell.]) necne nescio.

⁴⁾ p. 21 apud Seeckium.

⁵⁾ Affero Léotardum: Essai sur la condition des barbares dans l'empire Romain en quatrième siècle (1873) p. 166; Humbertum apud Saglionem et Darembergum: Dictionaire des antiquités (1875). — Schlumbergerus (Sigillographie p. 301) ea, quae Humbertus de bucellariis dixit, mirum in modum ad „bucellarios cataphractarios“ Notitiae rettulit.

⁶⁾ cf. Du Cangium, Lex. med. Graec. App. 42.

impositum sit. Quam rem inde natam, quod in Galatia bucellarii sive militantes, sive veterani fundis militaribus donati saepissime collocati essent, inversam, uti dicit,¹⁾ habere rationem ei, qua alio loco²⁾ nomen gentis Isaurorum vicem vocis bucellariorum praestitisset.

Quae viri doctissimi sententia, quamquam ea legentis animum fortasse moveri non negem, tamen, ni fallor, maiore ex parte vix probanda est. Nam primum quidem Galatia non eis de causis, quas Boeckingius commemoravit, „τὸ Βουκελλάριον“ nominata est, cuius rei ne vestigium quidem ostendi potest, sed propterea, quod multi Gallograeci bucellariorum condicionem subierunt, ut Mommsenus contendit.³⁾ Deinde autem Gallograecia „τὸ Βουκελλάριον“ non est nominata nisi ipsa aetate media, atque alia translatio, quam vir doctissimus attulit, dimidia saeculi parte post facta est: contra, si Boeckingius recte iudicasset, bucellariorum nomen eodem fere tempore, quo exstitit, prorsus vim suam mutasse existimandum est. Tales autem translationes, quas aliae quoque linguae⁴⁾ haud raras exhibent, cum longiore temporis spatio facile oriantur, simul cum recta vocabulorum vi umquam natas esse mihi quidem incredibile esse videtur. — Quodsi alia „bucellariorum cataphractariorum“ definitio investiganda est, inde proficiscendum esse mihi videtur, quod fieri non potest, quin primum quidem voci bucellariorum vis satellitum insit, deinde milites vexillationis stipatores non sint. Quibus condicionibus satisfieri crediderim, si censemus hos „bucellos cataphractarios“ satellites fuisse, qui, postquam nescio quo casu in rei publicae

¹⁾ in commentario ad Notitiam Dignitatum I p. 208 sq. Miror virum doctissimum, qui hoc loco recte de veris bucellariis non agi intellexit, altero operis volumine (p. 1070) iisdem „bucellariis cataphractariis“ ad naturam bucellariorum declarandam usum esse: „alia itaque“, inquit „bucellariorum condicio exeunte saeculo quarto fuit, quippe quos inter vexillationes comitatenses reperimus;“ „ἵλας“ Tribigildi bucellarios fuisse putat, quae sententia verbis a Zosimo (V 13) additis: „πρὸ βασιλείως τὴν τούτων λαβῶν ἐπιμέλειαν convincitur. (Buryus, [I. I. I p. 82] ἵλας Tribigildi „lactos“ fuisse censuit.)

²⁾ Cod. Iust. IX 12. 10 (a. 46S).

³⁾ I. I. p. 235. adn. 2.

⁴⁾ eodem modo nos praetorianos Papae „Schweizer“ appellare, qui certe maxima ex parte Helvetii non sunt, Dahnius (Koenige der Germanen VI¹ p. 134) adnotat.

exercitum transierunt, ut tum iusti rei publicae milites fierent, vetus nomen memoriae causa retinuerunt.

Iam ut unde egressi sumus revertamur, satellites inveniuntur omnium fere saeculi quinti eorum virorum, qui verbo quidem ministri, re vera saepissime domini imperatorum fuerunt.

Et Valentinianus quidem Augustus a bucellario quodam eiusdem Aetii,¹⁾ quem paulo ante interfecerat, interemptus est. Simili modo Ostrys,²⁾ hypaspista Asparis illius, quem Leo imperator de medio tollendum curaverat, dominum suum ulcisci conatus est. Vitaliani quoque satellites,³⁾ quos una cum eo diem supremum obiisse Iordanes auctor est, stipatores eius fuisse videntur.

Longe autem dilucidius et significantius explanari potest qualis fuerit doryphorum hypaspistarumque condicio Agathiae atque Procopii aetate; nam eam inde a temporibus Honorii usque ad Iustinianum aliquantulum mutatam esse — etsi id documentis firmari nequit — ipsa re docemur. Hi stipatores aetate Iustiniani non solum apud omnes exercitus Romani duces et tribunos inveniuntur, sed etiam si non apud omnes⁴⁾ civiles magistratus, at tamen apud eos, qui exercitus sequebantur.⁵⁾

Sed cum comitatus minorum ductorum exigui⁶⁾ certe fuerint, apud maiores nonnumquam tantum numerum expleverunt, quo illicerentur, ut auctoritatem summi ducis negligerent: velut Narses, ut apud Procopium legimus, Belisarii imperium recusans haud minima ex parte magnitudine satellitii fretus erat.⁷⁾

¹⁾ Annales Ravennatenses ad ann. 455 (cf. p. 21. adn 4); Prosper Aquitanus ad ann. 455; Additam. Prosperi Havniensia l. I. p. 303.

²⁾ Malalas (Herm. vol. VI p. 369); Theophanes ad ann. 5964.

³⁾ Romana §. 361.

⁴⁾ cf. Mommsenium l. I. p. 236: „In Iustiniens Zeit schickte es sich nicht für den Civilbeamten sich Buccellarien zuzulegen.

⁵⁾ apud Agathiam III² p. 140 legitur de doryphoro Rustici: „ταμίας μόνον τῶν βασιλέως χρημάτων, οὐ μὲν τῶν ἐκ τῆς δασμοφορίας ἐρασιζομένων . . ., ἀλλὰ τῶν ὅσα ἐκ τῶν βασιλείων θησαυρῶν ἐπιπέμπει, ἐφ' ᾧ τοὺς ἀριστάτους ἐν τοῖς μάχαις τὰ προσήκοντα κομιζέσθαι γέρα“. Existimo eum „comitem patrimonii“ fuisse (cf. Hirschfeldum, Untersuchungen auf dem Gebiete der Röm. Verwaltungsgesch. p. 45.)

⁶⁾ cf. Mommsenium l. I. p. 236 et adn. 2.

⁷⁾ BG. II 18. p. 218.

Rursus summi ducis vis ac potentia, qua et in hostem et in ipsius castra opus erat, imprimis in doryphoris hypaspistisque posita erat, ut ex Belisarii epistola a. p. Chr. n. 545 ex Italia ad Iustinianum missa, qui invidia commotus comitatum eius retinebat,¹⁾ cognosci potest: „δορυφόρους τοίνυν καὶ ὑπασπιστὰς τοὺς ἐμοὺς μάλιστα πάντων σταλῆναι προσήκει“. ²⁾ Nec mirum, quoniam comitatum eius septem milium equitum fuisse Procopius his verbis sane pulchris et herois sui amore imbutis, neque tamen mea quidem sententia minus fide dignis auctor est: ³⁾ „(Belisarius) δυνάμει δὲ ὑπασπιστῶν τε καὶ δορυφόρων τοὺς πάποτε στρατηγὸς ὑπεράρων, φοβερὸς . . . ἀρχουσί τε πᾶσι καὶ στρατιώταις ἐγένετο. ἀντιτείνειν τε γὰρ ἐπιτάττοντος, οἶμαι, ἐτόλμα οὐδείς . . . τὴν τε ἀρετὴν αἰσχυρόμενοι καὶ δεδιότες τὴν δύναμιν. ἑπτακισχιλίους γὰρ ἰππέας ἐκ τῆς οἰκίας παρείχετο.“ Cum vero tantas Belisarii copias privatas comparemus cum exercitibus imperatoris eiusdem aetatis (velut in Vandalos quindecim milia,⁴⁾ in Gothos Belisario duce septem milia militum et quingenti⁵⁾ missa sunt), facile intellegemus Iustinianum Belisario propterea semper diffusum esse neque tamen eius opera diutius carere potuisse, quod altera ex parte comitatum eius timebat, altera ex parte bellicam vim septem milium fortissimorum militum maximi aestimabat. E contrario Narses,⁶⁾ successor Belisarii, — quamquam aliis quoque de causis eum minus periculosum imperatori visum esse quam Belisarium non ignoro, — quam parvum satellitium secum duxerit, dignum est quod adnotetur. Tamen alii praeter Belisarium duces comitatus instar exercituum habuisse videntur: Valeriani⁷⁾ saltem magistri militum per Armeniam doryphoros hypaspistasque numerum mille superasse scimus.

Hos stipatores a ductoribus mercede conductos esse et ipsa re docemur et a Procopio nonnumquam commemoratur, velut

¹⁾ HA. 4. p. 31.

²⁾ BG. III 12. p. 325. Merum epistolae exemplar apud Procopium non exstare vix commemoratione dignum est.

³⁾ BG. III 1. p. 282. 283.

⁴⁾ BV. I 11. p. 358.

⁵⁾ BG. I 5. p. 26. — Mommsenus l. l. p. 258 adn. 4 de septem milibus verba faciens *ἑξαμύχιους* numero exclusit, cf. BG. III 21. p. 366.

⁶⁾ Agathias I 19. p. 55.

⁷⁾ BG. III 27. p. 391.

Germanum,¹⁾ Iustiniani fratris filium novos asseclas expeditioni conflasse legimus. Quin etiam facultate nominatim ab imperatore data milites exercitus publici²⁾ conduceri poterant; neque dubitandum est, quin ei, qui in numeris stipendia merebant, libenter duces secuti sint, quoniam doryphori hypaspistaeque, quamquam iure omnino non pars exercitus erant, re vera tamen primum locum eius tenebant. Nam stipatores inter omnes milites maxime honoratos fuisse cum multis aliis³⁾ scriptorum locis cognosci potest, tum ex ea re, quod Narses militem quendam numerorum pedestrium honoris causa hypaspistam suum fecit.⁴⁾ Qui satellites domini alicuius facti sunt eius „οἰκία“⁵⁾ (domui) adnumerantur; cuius natura ea est, ut omnes — cum servos, tum liberos — complectatur.⁶⁾ qui sunt in manu hominis, „hominis“ dico, non „magistratus“, qui ductoris locum tenet, cum „officio“⁷⁾ ei contineantur, qui ab imperatore personae ducis, „personae“ dico, non „hominis“ attributi sunt. Inde ortum est, ut „οἰκία“ a scriptoribus aperte „officio“ opponatur; quod, etsi acerrime a Iohanne Lydo,⁸⁾ qui quidem ipse officialis in homines novos, ut utar hac imagine, vehementissima ira exagitur, tamen non minus manifeste ab Agathia factum est.⁹⁾ qui enumerans eos, qui

¹⁾ BG. III 39. p. 447. — BG. III 10. p. 315. 316 de Belisario legitur: „Θρόνον ἔλην περιών γρήματά τε προτίμενος ξυνήτε νίους ἰθελουσίους.

²⁾ BG. III 39. p. 447: „τινάς δὲ καὶ ἐκ καταλόγων ἰππεύων, οἱ ἐπὶ τῆς Θρόνης; ἔθρονος ὄντος βασιλῆος; ξυνελεξῆς (Germanus) — fortasse loco Cod. Iust. XII 37, 19: „ἃ εἰ βούθησαν ἑξαορίσθησαν προσωποῦ; τῶν“ de eadem re agitur.

³⁾ res, quae unoquoque fere Agathiae et Procopii capite demonstratur, documentis in medium proferendis indigere non videtur.

⁴⁾ BG. IV 29. p. 614.

⁵⁾ BV. II 10. p. 448; BG. I 18. p. 89.

⁶⁾ Qui ex domo (οἰκία) alicuius ducis sunt, eius οἰκίῳ nominantur; quare Hodgkinus (l. I. II p. 251) locum Iohannis Antiocheni, no 209 apud Muell. (οἰκίῳ βροβύρων πληθῶς) certe iniuria declaravit „the multitude of naturalised barbarians“. — De servis οἰκία; cf. ea, quae Mommsenus exposuit, l. I. p. 235 adn. 4.

⁷⁾ Officium ipsum quoque a privato initio ortum esse Mommsenus adnotavit, Ostgothische Studien p. 467 et adn. 3; quare haud ita prave οἰκία in officii locum successisse dici potest.

⁸⁾ de magistratibus III 57. p. 250: „Ἐνδὸν δὲ τῆς πραιτορίας ἀλλῆς ἰδίωτικῆν ἐν σκότῳ φυλακῆν ἡραορίσας ταῖς ποιναῖς τῶν ἑφ' οὐδῶν τελευτώνων“. (cf. BP. I 25. p. 130).

⁹⁾ I 19. p. 55. — Mirum in modum ἀρχῆς ὑπερήτας; hoc loco cancellariorum tantum dignitate definit.

Narsetem sequebantur, „θεραπευταῖς“ et „δορυφόροις“ „ἀρχῆς ὑπηρέτας“ opposuit. Apud Procopium quoque, quamquam locum tantae auctoritatis non investigavi, numquam ei, qui ab imperatore duci, alicui attributi sunt, „οἰκίαι“ adnumerantur, neque Dahnio¹⁾ concedendum est ipsum Procopium, assessorem et consiliarium Belisarii, eius „οἰκίαις“ participem ullo modo nominari posse.

Impensas, quae in stipatores alendos faciendae erant, initio a domino eorum praestandas fuisse inter omnes constat. Sed utrum ductores doryphoros hypaspistasque quaestus causa conduxerint ea spe inducti se homines imperatori locaturos esse, qui stipendia eorum solveret, ipsos autem e tota re lucrum facturos esse, id quod Mommsenus²⁾ contendit, an re vera, ut mihi videtur, duces ipsi potentiae et auctoritatis sibi parandae causa sumptum fecerint, accuratius tractandum est. Nam si in hac parte disputationis sententiam Mommseni sequeris, multo facilius, quoniam viri doctissimi iudicium testimoniis foederatorum nomen exhibentibus confirmari supra vidimus, doryphoros hypaspistasque nihil esse nisi foederatos putabis, si minus, gravissimam utriusque militum generis differentiam compertam habebis. Iam a duobus locis a Mommseno investigatis profiscamur, quibus sententiam suam confirmavit. Et primum quidem iudicavit in verbis quibusdam Procopii vestigia inesse, quibus demonstraretur stipatores ductorum, antequam ab imperatore conducti essent, ab eodem probandos fuisse. Neque tamen probationis sensum, a quo tota res pendet, in his verbis inesse mihi quidem videtur probabile; haec enim leguntur:³⁾ „ἐπιτακτικῶν γὰρ ἰππέας ἐκ τῆς οἰκίας παρείχεται, ὧν δὴ ἀπόβλητος μὲν οὐδέ τις ἐγγόνει, αὐτῶν δὲ ἕκαστος πρῶτός τε ἐν τῇ παρατάξει ἐστάναι καὶ προκαλεῖσθαι τοὺς τῶν πολεμίων ἀρίστους ἤξιον.“ Cum vero voce „ἀπόβλητος“, qua sensum examinis non sustentati exprimi posse concedo, eodem iure is significetur, qui spernendus est, equidem non dubito, quin vis huius loci ea sit, qua Procopius in animo habuit dicere „stipatores Belisarii non modo non spernendos fuisse, verum etiam eximiam fortitudinem prae se tulisse“.

¹⁾ Dahnius, Procop v. Caesarea. p. 18. 19. — BV. I 12. p. 363, ut hoc quoque commemorem, de aedibus Belisarii, non de „domo“ eius sentiendum est.

²⁾ l. l. p. 238.

³⁾ BG. III 1. p. 283.

Deinde in Procopii historia arcana haec verba invenimus¹⁾ a Mommseno²⁾ laudata: „οὐ μόνον δὲ οἱ στρατιῶται πενία τε καὶ ἀπορία πρὸς τῶν λογοθετῶν ἐπιέζοντο, ἀλλὰ καὶ οἱ πᾶν ὑπηρετοῦντες τοῖς στρατηγοῖς παρακληθεῖς τε καὶ ὀδύη μεγάλη τὰ πρότερα ὄντες λιμῶ καὶ πενία δεινῇ ἤχθοντο. οὐ γὰρ εἶχον, ὅθεν τὰ εἰωθότα σφίσι πορίζοντα.“ Hoc quoque loco ad sententiam viri doctissimi, qui „πᾶν ὑπηρετοῦντας τοῖς στρατηγοῖς“ doryphoros hypaspistasque esse voluit, accedere nolim. Neque enim solum doryphori hypaspistaeque ipsi saepe a scriptore „στρατιῶται“³⁾ nominantur, unde Procopium si stipatores opponere voluisset militibus imperii, primo loco alia usum esse voce concludendum videtur, verum etiam ex ipsis verbis „ὑπηρετοῦντες τοῖς στρατηγοῖς“ (id est magistris militum et ducibus), de quoniam hominum genere, ni fallor, sentiendum sit, cognosci potest. Nam cum omnibus quoque „ἀρχοισι“ (id est ducibus et tribunis) stipatores fuisse supra⁴⁾ statuerimus, officio contra nisi magistri militum et duces non instructi sint,⁵⁾ hic locus ad officiales referendus esse videtur: quae sententia fortasse eo firmatur, quod Agathias⁶⁾ officiales eodem fere modo „ἀρχῆς ὑπηρετάς“ nominavit.

Ut vero ego ipse causas, quibus commotus impensas a ductoribus factas esse persuasum habeo, afferam, satis mirum mihi videretur homines, qui re vera ab imperatore alerentur, non solum saepissime bucellarios nominatos esse, verum etiam a Malcho⁷⁾ voce „οικείων μισθοφόρων“ significatos esse. At haec leviora esse concedendum est, illa autem graviora sunt: Iohannes enim, Belisarii optio, a Procopio his verbis commemoratur:⁸⁾ „ . . . Ἰωάννη, ὃς οἱ ἐπεμελεῖτο τῆς περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης.“ Qui locus

¹⁾ H. A. 24. p. 134. 135.

²⁾ I. I. p. 238 adn. 6.

³⁾ velut BV. I 23. p. 402.

⁴⁾ cf. p. 24.

⁵⁾ cf. Kuhnium, Die städtische und bürgerliche Verfassung des Röm. Reichs bis auf Justinian, Vol. I p. 158. „ . . . der Beamten in sämtlichen Officien, von denen der höchsten Beamten bis zu denen der Provinzialstatthalter“. — ut hoc afferam, in lege, qua administratio Africae a Iustiniano ordinata est, officia omnium ducum commemorantur, officium contra tribuni, qui „in traiectu, qui est contra Hispaniam, quod Septem dicitur“, constituendus est, non nominatur (Cod. Iust. I, 27, 2).

⁶⁾ I 19. p. 55.

⁷⁾ no 18. apud Muellerum.

⁸⁾ BV. I 17. p. 381.

mea quidem sententia multi maioris momenti est ad rem diuidendam, quam Mommseno¹⁾ videtur. Praetermissis enim testimoniis ad foederatos pertinentibus, a quibus vir doctissimus profectus est, certe ex hoc loco nonnulla probabilitate colligendum est, „δαπάνη“ ab ipso Belisario factam esse. Quod iudicium, ni fallor, quam firmissime narratiuncula quadam fulcitur, quam Agathias²⁾ protulit: tradit enim hominem quendam, qui inter famulos doryphorum Iustini erat, Iustino pollicitum esse se toti eius comitatu sine ullo eius sumptu victum paraturum esse. Eo autem quod Iustinus, vir nobilissimis parentibus ortus, ad rem nisi turpissima ratione peragendam et postea re vera perfectam descendere ausus est, eum hac re maximum sibi paravisse lucrum demonstratur. Quod quomodo fieri potuerit, si impendio publico, non privato comitatus alendus fuerit, plane nescio.

Cum vero ductores stipendia doryphoris hypaspistisque de suo dedisse statuendum sit, tamen eos ad conducendos et armandos stipendios saepe ab imperatoribus vel pecunia vel aliis rebus adiutos esse concedendum est: velut et Germanum³⁾ expeditioni Italiae comitatum cogentem magnam auri vim a Iustiniano accepisse, et Belisarium in Africam proficiscentem equis plurimis,⁴⁾ quos, ut addi liceat, stipendioribus suis attribueret, donatum esse apud Procopium legimus. Nihilominus minus facere non possumus, quin respicientes, quantum sumptum Belisario comitatus attulerit, admiratione afficiamur; sed ne res prorsus incredibilis habeatur, primum tenendum est tantam hominum multitudinem sine dubio magna ex parte ipso bello alitam esse, deinde a Procopio⁵⁾ eodem loco et maximum Belisarii comitatum et immensas eius divitias commemorari.

Dominum, qui de suo οίκαν alebat, praepositos eius suo arbitrio creavisse mirum non est. Ex his, ut ita dicam, privatis magistratibus nonnulli a scriptoribus in medium proferuntur:

¹⁾ l. l. p. 238 adn. 3.

²⁾ IV 22. p. 252.

³⁾ BG. III 39. p. 426.

⁴⁾ BV. I 12. p. 363: „ . . . βασιλεύς ἴππους ὅτι μάλιστα πλείστοι τῶν στρατηγῶν . . . ἰδομεῖτο.“ — Vox ἰδομεῖτο optime cum eius rebus, quas supra probavimus, convenire videtur.

⁵⁾ BG. III 1. p. 282: „αὐτός τε γάρ πάση ἀρετῇ προύχων καὶ πλοῦτος μὲν πολλοῦ ἐξουσίᾳ δυνάμει τε ὑπαρξιστῶν τε καὶ θορυφῶρων . . .“

nam ut Iohannem, Belisarii optionem, quem supra attigimus, hoc loco praetermittamus, duo homines a Procopio¹⁾ commemorantur, qui diversis temporibus in Belisarii conitatu dignitatem „τοῦ τῆς οἰκίας ἐπεστότος“ obtinebant; atque idem fere nomen prae se tulerunt Zandalas,²⁾ Narsetis „ὁ τῶν ὀπαδῶν πρωτοστάτης“, quem Agathias saepissime laudavit, et Bonus,³⁾ Iustini „πρωτοστάτης τοῦ θητικῶς καὶ οἰκειτικῶς“, qui a Menandro Protectore commemoratur.⁴⁾ Neque tamen eadem dignitas in diversis „domibus“, quae res optime cum privata eorum natura convenit, idem valet: nam cum Iohannes verbo privatus dispensator in bello Vandalico primum post ipsum Belisarium locum in toto exercitu tenuerit, Zandalas et Bonus certe magna auctoritate fuerint, homines contra οἰκίας Belisarii, qui verbo easdem atque Zandalas et Bonus partes egerunt, re vera longe minorem potestatem habuisse videntur: alter enim, postquam magistratum deposuit, nihil nisi tribunatum numeri equitum consecutus est, alter semel modo, neque tamen ductoris, sed legati munus praestans commemoratur.⁵⁾ Vocem „τοῦ τῆς οἰκίας ἐπεστότος“, si ex graeco in latinum vertis, vocabulum „maioris domus“ efficitur, quam dignitatem praefectum „domus“ Exarchi Italiae prae se tulisse Diehlius⁶⁾ adnotavit.⁷⁾

Doryphoris hypaspistisque cum omnia militum officia praestanda, tum corpus domini protegendum fuit: itaque eos in proeliis pro salute domini morti se offerentes⁸⁾ saepe apud scriptores invenimus. Noctu tentoria⁹⁾ iuxta eum ponere con-

¹⁾ BG. II 28. p. 261; BG. III 36. p. 434.

²⁾ Agathias, II 8. p. 80.

³⁾ Menander Protector, no 9 apud Muellerrum.

⁴⁾ fortasse hoc loco addendus est Papimus „ὁ; ἄν ἱππαρχος τῆς Ἰλλυδῶς.“ (Iohannes Antiochenus, apud Muell. IV 214, 5.) et Subarmarchius (cf. p. 22. adn. 3).

⁵⁾ BG. III 28. p. 261; BG. III 36. p. 434.

⁶⁾ l. l. p. 183.

⁷⁾ num fortasse de „maioribus domus“ regis Gothorum, de quibus paulo aliter Mommsenus statuit (Ostg. Stud. p. 515. 516), similiter censendum sit, diiudicare non audeo.

⁸⁾ BV. II 3. p. 420. 21; BG I 18. p. 88; Agathias II 14. p. 94; Corippus, Iohann. IV 923, 24.

⁹⁾ BG. II 23. p. 239.

sueverunt, unde hoc quoque natum est, ut inter medios summi ducis stipatores signum imperatorium esse soleret.¹⁾

In stipatorum autem numero equites tantum²⁾ — iisdem sine dubio de causis, quas de foederatis³⁾ adnotavimus — et ei cataphractarii⁴⁾ inveniuntur; cui rei ne id quidem iure opponi potest, quod Narsetem⁵⁾ peditem quendam numerorum hypaspistis suis adscripsisse scimus; nam in ea re, quod homo ex peditate eques factus est, haud minima pars praemii posita fuit. Neque vero Principii, stipatoris Belisarii, verba, quae apud Procopium leguntur, in partes eis rebus, quas disputavimus, contrarias abeunt, dummodo in verbis eius⁶⁾ „περὶ γὰρ ἡμεῖς τὸ τῶν βαρβάρων πλῆθος εἶναι εἰδοίς (peditibus) οἴσομεν“ vocem „περὶ“ adiectivo sensu accipiamus.

Duo stipatorum genera gradu dignitatis inter se disiuncta exstitisse iam supra⁷⁾ adnotavimus. Quorum utrumque singillatim perlustrare cum nobis in animo sit, maximi momenti ad hanc rem persequendam tres scriptores sunt, Procopius, Agathias, Corippus, qui accuratissimam satellitum memoriam prodiderunt. Ac Procopius quidem voce „δορυφόρου“ maiorem, voce „ὑπασπιστοῦ“ minorem eorum ordinem tanta perspicuitate significavit, ut hac re nullus dubitandi locus detur. Agathias autem, quamquam eum voce „δορυφόρου“⁸⁾ eodem quo Procopium sensu usum esse satis constat, tamen nomen „ὑπασπιστοῦ“ numquam in medium protulit, sed eandem vim paucis locis voci „παίδων“⁹⁾ attribuit, cum multo saepius „ὑπασπιστάς“ vel cum servis „domus“, vel cum doryphoris uno nomine comprehendens alia verba haud satis certe definienda usurpaverit¹⁰⁾. Tertius Corippus, id quod poetae vitio non vertes,

¹⁾ BV. II 2. p. 415; BV. II 3. p. 420; BV. II 10. p. 448.

²⁾ Hodgkinus doryphoros equites, hypaspistas pedites fuisse iussit (l. I. IV p. 506).

³⁾ cf. p. 14.

⁴⁾ cf. ea, quae Mommsenus disseruit l. l. p. 237. adn. 2.

⁵⁾ BG. IV 29. p. 614.

⁶⁾ BG. I 28. p. 134.

⁷⁾ cf. p. 20.

⁸⁾ velut II 4. p. 94; III 14. p. 145; III 16. p. 175.

⁹⁾ velut III 16. p. 175.

¹⁰⁾ velut I 19. p. 55; II 8. p. 80.

omnino non commemoravit nisi nobilius stipatorum genus, quod semper voce „armigerorum“ nuncupavit.

Haec autem duo satellitum genera Iustiniani aetate in unoquoque comitatu exstitisse Procopius gravissimus auctor est, qui doryphoros hypaspistasque non solum Belisarii, sed eorum omnium, qui stipatores alebant, enumeravit.¹⁾

Et hypaspistae quidem, qui longe maiorem stipatorum numerum explebant, quamquam sine dubio honestiorem militibus imperii locum tenebant, tamen in universonihil erant nisi milites gregarii, ut ex eo cognosci potest, quod et rarissime²⁾ singulos eorum nominatim afferri et semel tantum hypaspistae cuidam maiorem rem exsequendam³⁾ mandatam esse invenimus⁴⁾. —

De origine vero hominum, qui hypaspistae stipendia merebant, eodem modo, quo de foederatorum⁵⁾ iudicandum est. Commemorantur autem ipsis verbis in eorum numero militantes Thraces,⁶⁾ Isauri,⁷⁾ Gothi;⁸⁾ neque tamen Gothi, id quod velim teneas, a Procopio.

De altero stipatorum genere multo uberius materies ad nos pervenit: nam et alii scriptores et Procopius ad doryphoros, cum praeter ceteros milites auctoritate⁹⁾ et laude florent, animum quam diligentissime attenderunt et praecleara singulorum facinora enarraverunt.

¹⁾ Adnotandum videtur apud Procopium numquam legi hypaspistam aliquem doryphorum factum esse.

²⁾ BG. I 9. p. 47; BG. II 2. p. 151; BG. II 8. p. 179.

³⁾ BV. II 5. p. 430.

⁴⁾ Haec quoque narratiuncula, quam apud Procopium legimus, hypaspistarum condicionem optime illustrare videtur: Isaurus quidam, cum summo duci, quem ipse pro humilitate sua convenire non poterat, nuntium gravissimum communicare vellet, rem hypaspistae cuidam Belisarii enarravit, qui eam domino suo indicaret (BG. I 9. p. 47). Vidimus enim ex ea narratiuncula hypaspistis et cum militibus gregariis et cum ductoribus, quos sequebantur, consuetudinem fuisse.

⁵⁾ cf. p. 14, 15.

⁶⁾ BG. III 33. p. 419.

⁷⁾ BG. I 9. p. 47; Cod. Iust. IX 12, 10.

⁸⁾ Malalas (Hermæ vol. VI p. 369); Olympiodorus no. 7 apud Muellerm

⁹⁾ BP. I 22. p. 110. 111; BV. I 23. p. 402; BG. II 1. p. 149. — Fortasse, si modo codicum scriptura recta est, hoc loco afferendus est „Μουόνδῆλας, ὁ ὁραυτῆρος, ὁ αὐτοῦ (Belisarii) ἐταῖρος.“ (cf. adn. crit. ed. Bonn. BG. I 27. p. 127.)

Iam ut primum. quibusnam ex gentibus ei, qui doryphori stipendia merebant, orti sint, quaeramus — quae res ad totam Iustiniani aetatem cognoscendam, haud parvi momenti est, quia in hoc militum genere honoratissimo bellicosissimas imperii nationes militasse putandum est — a Procopio proficiscendum videtur. Qui cum septem et quadraginta¹⁾ doryphoros nominatim attulerit, nominibus unius et viginti ex eorum numero notam populorum, quibus adnumerandi sunt, addidit. Quo ex numero plus quam tertiam partem fuisse Hunnos,²⁾ quorum ne unum quidem barbarum nomen deposuisse memoratu dignum est, duos minores trientes aequis fere ex partibus Thraces³⁾ et homines e gentibus Asiae montanis⁴⁾ fuisse invenimus, quorum dimidia pars pro nomine barbaro Graecum aut Latinum sibi usurpavit. Denique nonnullos eorum ex reliquis Orientis nationibus, Armeniis et Persis,⁵⁾ originem duxisse videmus.

At fieri non potest, quin, qui hunc catalogum legerint, haec re vehementissime offendantur: Quid? num Gothos, quos et maxima virtute bellica fuisse constat et apud Olympiodorum⁶⁾ invenimus in stipatorum numero militantes, aetate Iustiniani doryphoros omnino non fuisse putandum est? Immo nos ipsi ex nominibus a Procopio sine gentis significatione allatis longe aliter rem se habuisse demonstrare in promptu habemus: Gontharis enim, Uliaris, Ulitheos, Mundilas, Thorimuthus, Rizilas,

¹⁾ Affero locos ad eos doryphoros pertinentes, quibus adnotatio originis addita non est: BP. I 21. p. 111; BP. II 19. p. 234; BP. II 21. p. 243; BV. I 19. p. 389; BV. II 15. p. 475; BV. II 13. p. 49) sq.; BV. II 19. p. 494; BV. II 25. p. 516; BG. I 7. p. 38; BG. I 18. p. 89; BG. II 7. p. 176; BG. II 10. p. 187; BG. III 11. p. 320; BG. III 11 p. 321; BG. II 27. p. 257; BG. IV 23. p. 577; BG. IV 33. p. 629; BV. II 27. p. 523; BP. I 15. p. 75; BV. I 16. p. 380; BG. III 14. p. 337.

²⁾ BV. II 10. p. 448; BG. I 16. p. 81; BG. II 2. p. 150; BG. II 13. p. 198; BG. III 30. p. 402.

³⁾ BV. II 10. p. 448; BV. II 28. p. 527; BG. II 2. p. 150; BG. II 13. p. 198; BG. III 11. p. 324.

⁴⁾ Isauros, Cappadoces, Pisidas (BG. I 28. p. 133; BG. I 29. p. 137; BG. II 10. p. 187). — Cappadoces maximam partem stipatorum Iohannis Cappadocia, praefecti praetorio, fuisse Lydus narrat.

⁵⁾ BV. I 17. p. 381; BG. II 2. p. 150; BG. IV 31. p. 619.

⁶⁾ no. 7 apud Muellerrum.

Indulfus, Dagaris nomina sunt Gothica.¹⁾ Quam rem sine dubio satis miram nemo casu natam esse censebit, praesertim cum simile aliquid in hypaspistis supra cognoverimus.²⁾ Periclitantes autem, num causam, cur Procopius nomini stipatoris Gothici significationem originis nunquam apposuerit, investigare possumus, felicissime adiuvanur quadam re, quae nobis primo aspectu plane contraria fortasse videatur: supra enim vidimus stipatores a Iohanne Malala, qui vulgarem aetatis Iustinianae³⁾ graecitatem praebet, nonnullis locis „πληθός; Γοτθικόν“⁴⁾ appellatos esse. Quae quam diversissimae res cum inter se coniungantur et comparentur, haec, ni fallor, non refutanda videtur explicatio: adeo saepe Gothi in doryphorum hypaspistarumque numero stipendia merebant, ut Procopio, qui in hac re, ut ex Malala videmus, usum linguae sequebatur, verba in addenda stipatoribus Gothicis adnotatione originis redundare visa essent.⁵⁾

Homines, priusquam doryphorum numero adscriberentur, gravissimo iure iurando adstringebantur⁶⁾ se semper domino — hunc autem primo loco a Procopio nominatum esse fortasse alicuius momenti est — et imperatori fidem praestituros esse. Nec mirum duces summo studio id egisse, ut doryphoros in officio tenerent, quippe quibus nunquam fere a domini latere abscedendum esset: adstabant enim et cenae⁷⁾ eius partesque

¹⁾ BG. II 19. p. 494; BV. I 19. p. 389; BV. II 25. p. 516; BG. II 10. p. 187; BG. IV 23. p. 577; BP. I 15. p. 75 (cf. Foerstemannum, *Altdeutsches Namensbuch* Bd. I. Foerstemannus nomen Dagarich, non Dagaris in medium produxit, quae, quin idem valeant, non dubito.) — Nominibus Uliaris et Ulitheos apud ipsum Procopium Gothici quoque ductores significantur (BG. I 3. p. 18 sq.; BG. II 10. p. 184).

²⁾ cf. p. 32.

³⁾ cf. Krumbacherum (*Byzantinische Literaturgeschichte*, p. 112).

⁴⁾ Malalas p. 374. 432. 475 (475 = BP. I 24 p. 126. 127).

⁵⁾ Meum esse puto confiteri me ad hanc interpretationem simili rationatione Mommseni (II. p. 234), qua foederatorum nomen stipatoribus tributum esse persuasum habet, primo motum esse.

⁶⁾ BV. II 18. p. 491; Corippus, *Iohannis IV 226*. — Iusiurandum, ut Mommseno videtur (I. I. p. 236) etiam ab hypaspistis datum esse, non crediderim. — Hoc quoque addendum videtur Belisarium „ἄρκτος; δεινοτάτους“ (BG II 29. p. 268) fortasse doryphorum domino Iustiniano dedisse. cf. p. 36.

⁷⁾ BV. II 18. p. 491; II 28. p. 528.

escae accipiebant, et in proeliis galeis et loriceis induti¹⁾ tam prope eum sequebantur, ut nonnumquam doryphoris auctoribus²⁾ dominus consilia rei gerendae caperet. Iisdem autem, quare eos quamquam nobilissimos, tamen ministros fuisse optime probatur, ad res exsequendas nostro iudicio minus honestas domini utebantur: velut homines ad supplicia sumenda doryphoris traditos esse saepe apud scriptores³⁾ legimus.

Neque tamen in his potissimum rebus doryphorum officia posita erant, sed in eo, quod eodem modo, quo duces imperatori, ita doryphori ducibus munia ductorum praestabant: saepissime enim eos maioribus copiis, praecipue hypaspistis alicuius rei gerendae causa praefectos⁴⁾ esse legimus. Quin etiam fieri poterat, ut doryphori praeter stipatorum partes locum praefecti exercitus imperatorii tenerent: velut Rufinus, Belisarii „βαυδοφόρος“, et Aigan, eiusdem doryphorus, temporibus belli Vandalici tribuni fuisse „καταλόγιον ἑπιπέμων“ a Procopio traduntur⁵⁾. Quo modo cum singulae exercitus partes cum summo duce, cuius satellites eis praefuerunt, firmius iungerentur, etiam ultro doryphori custodes, ut hoc verbo utar, ducum et militum imperatoris et foederatorum a summo duce constituebantur: nam hac potissimum de causa factum esse videtur, ut Belisarius saepissime rem aliquam doryphoro et duci imperatorio una gerendam mandaret.⁶⁾

Tanta autem fiducia doryphoris tribui poterat, quia, quacunque auctoritate florebant, tamen semper in ipsius domi ditione erant: velut doryphorum quendam, qui minus fortem se praebuerat, „domo“ motum esse,⁷⁾ alium, qui fidem laeserat, a domino supplicio affectum esse⁸⁾ apud Procopium legimus. Quod

¹⁾ BG. IV 11. p. 511. 512.

²⁾ Corippus, Iohannis VI 533—36.

³⁾ BG. II 8. p. 181; Agathias I 12. p. 39. — Quid sit sentiendum de Lydi (I 37) doryphoro, qui „καταλόγιον ἑπιπέμων“ sequitur, nescio.

⁴⁾ velut BV. II 19. p. 389; BG. II 7. p. 176; BG. III 36. p. 432. — Illa quoque re, dico doryphoris proprios ministros fuisse, quam similes ductoribus fuerint, demonstratur. (Agathias IV 21. p. 252).

⁵⁾ BV. I 11. p. 359. cui loco conferas velim BV. II 10. p. 448.

⁶⁾ BP. II 19. p. 234; BG. I 16. p. 81; BG. II 4. p. 160; BG. II 21. p. 229; BG. III 11. p. 320 et 324; BG. III 37. p. 439.

⁷⁾ BC. II 22. p. 235.

⁸⁾ BV. II 18. p. 492.

vero non semel tantum et a domino severo factum esse,¹⁾ verum periurium a doryphoro commissum gravissimo crimini, quod expiari omnino non poterat, ei ductum esse ex scriptorum narrationibus cognoscitur; ommissa enim seditione Africana, cuius maxima pars „οικίας“ Salomonis²⁾ particeps fuisse traditur (sunt autem satellites a Belisario Salomoni in tempus permisi, quare fortasse effectum est, ut sacramento a Belisario obligati sibi fidem Salomoni quoque praestandam esse non putarent), cum ceteros milites saepissime ad hostem transfugisse, rursus autem rediisse videamus, doryphori, si quando deficere ausi sunt.³⁾ spe salutis abiecta contra Romanos pugnantes vel mortem oppetiverunt.

Neque tamen doryphori et eodem modo hypaspistae — ut iam ad utrumque satellitum genus revertamur — quoniam liberi homines erant, per totam vitam dominis alligati erant, sed ab eis, quos sequebantur, non solum discedere poterant, ut alios adiuverent, apud quos maiores se sibi paraturos esse honores et divitias sperabant.⁴⁾ verum etiam omnino stipatorum conditionem deponere: velut quendam, qui antea Salomonis doryphorus fuerat dignitatem ducis Numidiae adeptum esse atque ipsum stipatores habuisse legimus.⁵⁾ Iohannes quoque Heluo, qui postea non solum saepe suis auspiciis exercitibus ab imperatore praefectus est, verum etiam Constantinopoli in numero inimicissimorum pristini domini fuisse traditur,⁶⁾ Belisarii doryphorus militiam capessivit. Quin etiam Belisarius et Sittas doryphori Iustiniani, qui tunc magister militum necdum in societatem imperii a Iustino adscitus erat,⁷⁾ prima stipendia merebant, qua re certe haud minima ex parte effectum est, ut quam celerrime ad summos exercitus honores proveherentur.

¹⁾ Ceteri milites etiam a magistro militum ad ipsum imperatorem Iustiniani aetate appellare poterant (Cod. Iust. 7, 67, 2); scilicet Belisarius „αυτοκράτωρ τοῦ πολέμου“, cui permissum erat, ut omnia faceret „ὡς αὐτοῦ βασιλέως; ἀπὸ διαπαραγμένου“ (BV. I 11. p. 361), supremus omnium militum iudex fuisse existimandus est.

²⁾ BV. II 14. p. 472.

³⁾ BG. IV 33. p. 629; BG. IV 35. p. 642.

⁴⁾ BV. II 18. p. 491; BG. III 39. p. 447.

⁵⁾ BG. II 19. p. 494; cf. BV. II 25. p. 515.

⁶⁾ BP. II 19. p. 234; cf. HA. 4. p. 30.

⁷⁾ BP. I 12. p. 59: „τοῦτοι δὲ τῶ ἀνδρὶ νεανία μὲν . . . ἤσταν, Ἰουστινιανοῦ δὲ στρατηγῶν δορυφόροι, ὃς διὰ χρόνον ὑστερον εἶναι Ἰουστινίῳ τῶ θεῶν τῶν βασιλείαν ἔσχεν.“

Atque hoc quidem satis certe statui potest, illud vero. num satellitibus a dominis discedentibus certae condiciones eodem vel simili modo statutae fuerint, quo bucellariis Visigothorum, difficillimum videtur diiudicatu. Ex reliquiis enim Antiquae Visigothorum legis,¹⁾ quam sub Enrico rege litteris mandatam esse maximae parti virorum talibus rebus doctorum²⁾ verisimile est, cognoscitur bucellariis Visigothorum vel eorum liberis³⁾ a patrono vel eius liberis ad alterum patronum transeuntibus, quamquam eorum libertas ipsis verbis — „ingenui“ enim nominantur — sancita est, non solum arma omniaque alia, quae eis a patrono data erant, verum etiam dimidiam partem earum rerum, quas sibi apud eum adquisiverunt, domino reddenda fuisse.⁴⁾

Cum vero, num similium condicionum vestigia ad stipatores Romanos referenda inveniri possimus, periclitemur, vereor ne nullum investigemus locum huic rei idoneum.⁵⁾ At nonnulla

¹⁾ „Die Westgothische Antiqua“ ed. Bluhmius no. 310.

²⁾ cf. Brunnerum „Deutsche Rechtsgeschichte“. Bd. I. p. 324.

³⁾ Filia a patrono in matrimonium collocanda est; si ipsa invito patrono maritum sibi elegerit, reddere debet, quae patri a patrono data sunt. — De ipsius legis sensu, quo in enarrando Mommsenum (l. l. p. 236) secutus sum, paulo aliter Dabnius (Westgoth. Stud. p. 26) iudicavit; is enim ipsi bucellario (non filio), qui a domino discedebat, etiam omnia, quae sibi paraverat, relinquenda fuisse censuit. At „reddat omnia patrono“, quae verba supra leguntur, non referenda sunt nisi ad „quae sunt donata“. Mommsenum autem recte iudicavisse ex eo intellegitur, quod infra legimus: „quidquid bucellarius adquisierit, medietas in patroni vel filiorum eius potestate consistat.“

⁴⁾ De bucellariis Visigothorum egerunt Helfferichus (Entstehung und Geschichte des Westgoth. Rechts p. 104 sqq.); Gauppis (Germanistische Abhandlungen p. 38. 39); De Petigny (Rev. hist. du droit franç. et étrang. 1855 p. 214); Dabnius (Westgoth. Stud. p. 16 et 26) (Könige d. Germ. VI² p. 133 sqq); Secrétanuis (Essai sur la féodalité. Mem. et docum. publ. par la soc. hist. de la Suisse Romande p. 62—63), quorum unus quisque fere aliter de origine bucellariorum Visigothicorum iudicavit. Waitzii de hac re sententiam afferam: „Die Commendation, die sich an ältere, vielleicht schon keltische Institutionen anlehnt, hat bei den Deutschen eine eigentümliche Ausbildung und Anwendung auf verschiedenartige Verhältnisse erhalten. Ihr Wesen ist Aufnahme in den Schutz, das Mundium, eines andern. So erscheint sie bei den Westgothen (adn.: Buccellarii) und Longobarden wie bei den Franken.“ (Deutsche Verfassungsgesch. IV p. 234.)

⁵⁾ Verba, quae Procopius fecit enumerans duces, qui Narsetem secuti sunt, καὶ Ἰουάννη; ὃς ἔξην τῶν οὐκίτων στρατιώματι καὶ τῶν πρὸς Γερμανοὺς τοὺς κελύεσσιν

exstant argumenta, quae ob stare videntur, ne censeamus doryphororum hypaspistarumque libertatem talibus legibus circumscriptam fuisse. Nam cum apud Procopium legamus¹⁾ permultos stipitatores a dominis suis discedentes Germanum, cui ab imperatore bellum Gothicum mandatum erat, libentissime secutos esse, num verisimile nobis videri potest eos hac re incommoda sibi paravisse? Sed ut hoc omittamus — si stipitoris condicionem quasi hereditatem (nam hoc lege Visigothorum effectum esse perspicuum est) a patre ad filium translata esse statuendum est, quoniam modo explicari potest a Procopio nunquam doryphororum quemquam, quorum nomina saepissime afferuntur.²⁾ filium alius doryphori appellari, quamquam spatium temporis, quod res gestae a Procopio traditae complectuntur, maius viginti annis est?! Quare mihi quidem probabilius videtur legem Visigothorum ad cognoscendam Romanorum satellitum naturam usui non esse³⁾, tametsi non ignoro fieri posse, ut, si a viris doctis certius de origine bucellariorum Visigothicorum iudicatum erit, fortasse de hac re aliter sentiendum sit.

Denique si quaerimus, quoniam animo imperatores in morem conducendi stipitatores et nascentem et crescentem fuerint, primo agendum est de constitutione Valentiniani I,⁴⁾ ex qua, si

ἀποκλητημένῳ ξὺν αὐτῷ ζῆι* (BG. IV 26. p. 598) hoc loco afferenda non sunt. Nam, ut voce „αἰεῖου στρατεύματος“ non soli stipitatores Iohannis significantur, sed milites eius copiis Germani opponuntur, ita verba „τὸν πρὸς Γερμανοῦ ἀποκλητημένῳ (στρατεύματος)“, quamquam sine dubio „ἀπολείπει“ sensu „relinquendi hereditate“ poni potest, non ad stipitatores Germani testamento eius Iohanni legatos, sed ad totum Germani exercitum referenda sunt, ut ex alio Procopii loco (BG. III 40. p. 451) cognoscitur: „βασιλεὺς δὲ τοῖς ξυμπροσθεῖ (sc. morte Germani) περιόδοντος γεγονῶς Ἰωάννην ἐκίλευ, τὸν Βιταλιανὸν μὲν ἀδελφεοῦν, Γερμανὸν δὲ γαμβρὸν, ξὺν Ἰουστινιανῷ θατέρῳ τῶν Γερμανοῦ παίδων τῷ στρατῷ τοῦτῳ ἔς τὴν Ἰταλίαν ἤγχεσθαι.“ — Ex eis, quae in Historia Arcana (4. p. 31) narrantur, stipitatores minore libertate usos esse certe effici non potest, quoniam Procopius Iustinianum iniuste fecisse perspicue indicavit. (cf. Mommsenum l. l. p. 236 adn. 4.)

¹⁾ BG. III 39. p. 447.

²⁾ cf. p. 33.

³⁾ Mommsenus, quamquam cautissime, iudicavit condiciones in lege Visigothorum l. l. exstantes nobis ad cognoscendam naturam stipitorum Romanorum fortasse ansam praebere posse. (l. l. p. 236.)

⁴⁾ anni 367. Cod. Theod. VII 1. 10.

Mommsennum¹⁾ sequimur, imperatores huic rei favisse efficiendum esse videtur. Legis autem summa haec est: „Plerique milites homines condicionis ingenuae propinquitate simulata vel conditione lixarum frequenter secum abducunt; ideoque, ut numerosissima plebe crescat exercitus moneantur, ut ipsi sponte huiusmodi homines tribunis suis sive praepositis offerant ad tuum (sc. magistri militum) officium dirigendos.“ Censet igitur vir doctissimus hac lege ductoribus potestatem factam esse homines ingenuos, modo ne sint eis propinqui aut ad militiam inutiles secum ducendi ea condicione, ut nomina eorum profiterentur. Qua legis interpretatione, quamquam eam reicere non ausim, tamen mihi quidem alia probabilior esse videtur. Nam primum quidem de eis tantum hominibus agitur, qui, cum a militibus „abducti“ sint, hoc iam tempore exercitum sequuntur, hominum contra tum demum a ducibus conducendorum mentio non fit. Deinde, quamquam hi homines certe „tribunis suis sive praepositis“ a militibus offerendi sunt, tamen non offerendi sunt nisi ea lege, ut „ad tuum officium dirigantur.“ Cum vero ipsos homines, non eorum nomina, dirigendos, id est mittendos fuisse legamus, inde concludendum videtur eos non stipatores ductorum factos, sed ad officium magistri militum missos esse, ut milites gregarii in eas partes exercitus distribuarentur, qui haud „numerosissima plebe florebant“, vel, ut utar verbis Gothofredi,²⁾ ut „militiae adscriberentur“.

Quocumque autem modo de hac lege quispiam indicat, illud constat nomen ipsum stipatorum in constitutionibus imperatorum non legi nisi centum annis post. Nam anno p. Chr. n. 468 a Leone Augusto³⁾ omnes vetiti sunt „per civitates et agros habere bucellarios vel Isauros armatosque servos“. Cum vero ad proximum legis enuntiatum spectes, qua imperator eis, qui secus fecerint, poenas minatur, quaedam nascitur difficultas, cum dubitandum sit, utrum verbis: „quodsi quis praeter haec, quae mansuetudo nostra salubriter ordinavit, . . .“ breviter id repetatur, quod supra omnibus interdictum est, an, ut Dalmio⁴⁾

¹⁾ l. l. p. 235.

²⁾ in commentario, quo codicem Theodosianum instruxit.

³⁾ Cod. Iust. 9, 12, 10.

⁴⁾ Könige der Germanen VI² p. 134.

videtur, ea. „quae nostra mansuetudo salubriter ordinavit“, omnino non ad hanc legem referenda sint, sed ad privilegia, quibus certis hominibus bucellarios conducere concessum sit. Quae quaestio cum ex ipsis legis verbis, ut mihi videtur, discerni non possit, fortasse eo diiudicatur, quod hanc legem Codici Iustiniano insertam esse videmus, qua re eam Iustiniani quoque aetate valuisse demonstratur. Quoniam enim tunc omnes duces comitatus aluisse supra videmus et hoc contra leges factum esse vix existimari potest, et ductores omnes, sive communes, sive singulos, quippe quorum satellites imperatori summa utilitate fuerint, lege exemptos esse verisimile est.

Tamen Iustinianum nunquam timorem¹⁾ abiecissee eorum, qui magnis comitatibus praecraut, et eum, ut nobis iudicandum est, haud vanum, Belisarii exemplo insigni, ut supra vidimus, comprobatur.

Duo cognovimus, si modo, quod demonstrandum mihi proposui, demonstravi, militum genera, „foederatos“ et „doryphoros hypaspistasque“, quorum utrumque a temporibus Dic-

¹⁾ Fortasse conscientiae periculi, quod paci quoque intestinae a stipatoribus imminēbat, vestigium, quamquam obscuratum ad nos pervenit; BV. II 28. p. 528 enim haec leguntur: „..... τούς μὲν δορυφόρους ἔξιν τοῖς ἔξωθεν ἐκέλευσαν εἰσὼ γενέσθαι (ἀρχόντων γὰρ ἐστρωμένον ὄπισθεν ἐστάναι τοὺς δορυφόρους νόμος;)“ et paulo post: „... ἐπίσταλλε τῶν Ἀρμενίων πολλοὺς ἐς τὴν πόλιν ἐπαγέσθαι, τὰ ἔξωθεν μόνον ἐν χειρὶ φέροντας“ (ἄλλη γὰρ ὁδὸν ἐστὶν τοῖς ἀρχούσι ἐν πόλει ἐπομένους ὀπλιζεσθαι θέμεν). Quid? nonne mirum gladiis doryphororum commemorari, causam, cur gladiis armati venerint, non commemorari, — altero autem loco legi Armenios, milites sine dubio alicuius numeri, lege vetitos esse alia praeter gladium arma in urbe ferre? Porro: publicos milites tali lege obstrictos fuisse incredibile fere est, privatos credibile. Quibus causis si additur milites numeri altero loco „ἀρχόντων ἐπομένους“ nominari, qua voce saepissime stipatores significantur, fortasse audacior non videar, si in codicibus commutationem factam esse probare conor. Hoc autem modo legendum esse propono: „..... τούς μὲν δορυφόρους ἔξιν τοῖς ἔξωθεν ἐκέλευσαν εἰσὼ γενέσθαι (ἀρχόντων γὰρ ἐστρωμένον ὄπισθεν ἐστάναι τοὺς δορυφόρους νόμος τὰ ἔξωθεν μόνον ἐν χειρὶ φέροντας· ἄλλη γὰρ ὁδὸν ἐστὶν τοῖς ἀρχούσι ἐν πόλει ἐπομένους ὀπλιζεσθαι θέμεν).“ Tum alter locus verbo ἐπαγέσθαι clauditur.

clertiani et Constantini alienum est. Ambo, ut in re publica fieri solet, quae adulta hominibus privatis ius armorum adimit,¹⁾ reddit collabens, cum neque se ipsam neque cives defendere possit, privata sunt. Quamquam in hac quoque re perspicitur, quanta fuerit rempublicam administrandi peritia Byzantina, qua senescens imperium Romanum tot saecula sustentatum est, qua etiam periculum a privatorum militum illorum catervis imperio imminens in salutem eius conversum.

¹⁾ cf. Mommsenum l. 1 p. 329.



SENTENTIAE CONTROVERSAE.

- I. Commentarium de bello Africano ab Asinio Pollione scriptum esse nequaquam probabile est.
 - II. Fenestella „novissimo Tiberii Caesaris principatu“, ut apud Plinium (N. H. XXXIII, 46) traditum invenimus, diem supremum obiit; eum anno 772 mortuum esse, id quod Hieronymus scripsit, non probatur.
 - III. Altera expeditio Graeca, qua Stilicho Alarichum opprimere contendit, anno p. Chr. n. 396 facta est, non anno p. Chr. n. 397, ut Kochio (Rh. M. N. F. XXXXIV p. 581) videtur.
 - IV. Gisela regina, uxor Conradi II, ab Aribone archiepiscopo Mogontiacensi coronata est.
-

VITA.

Natus sum Conradus Benjamin Stettini die 16 mensis Iulii anni 1869 patre Maximiliano matre Theresa e gente Markussohn. Fidei ascriptus sum Iudaicae. Cum puer duorum annorum essem, parentes Berolinum migraverunt. Litterarum elementis in gynnasio regio Guilelmo Berolinensi instructus, postquam autumnno anni 1887 maturitatis testimonium adeptus sum, universitatem Berolinensem adii, ut studiis historicis et philologicis operam navarem. Ibi per sex menses scholis interfui vv. dd.: du Bois-Reymond, Bresslau, Koser, exercitationibus historicis Wattenbachii. Ienam inde me contuli, ubi audivi professores illustrissimos: Gelzer, Liebenam, Liebmann, Lorenz, Pierstorff per tria semestria: ad seminarium historicum Lorenz, proseminarium philologicum Gelzer, exercitationes historicas Liebenam aditum mihi praebuerunt.

Deinde Berolinum redii, ubi me docuerunt vv. dd. Bresslau, Curtius, Dessau, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Lenz, de Richthofen, Scheffer-Boichorst, de Treitschke, Vahlen, Zeller. Exercitationibus ut interesset benigne mihi permiserunt historicis Mommsen per unum annum, Hirschfeld per duos annos, Lenz per sex menses, philologicis Vahlen per tria semestria, epigraphicis per unum annum Hirschfeld.

Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas, praecipuas vero Mommseno et Hirschfeldo, quorum consiliis in studiis meis egregie adiutus sum.

14

